



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Oratio Panegyrica Habita In Sacra Aede B. Mariae
Aspricollensis Ipso Festo Assumptionis ejusdem Die**

Venne, Franziskus vanden

Mechliniae, 1663

urn:nbn:de:hbz:466:1-12159




X XI. 37.


Th. 5796.

H XI

23







Ex Legato Cestini
Episcopi Paderbornensis **ORATIO** *principis Ferdinandi*
et Monasteriensis

PANEGYRICA

HABITA IN SACRA ÆDE

B. MARIÆ
ASPRICOLLENSIS

Ipso Festo Assumptionis ejusdem Die,

QUANDO AD ILLAM

AVREVS TAPES

MISSVS

À SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

ALEXANDRO VII.

DELA TVS FVIT

AB ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS. DOMINO

HIERONYMO DE VECCHIIS

ABBATE B. MARIÆ MONTIS REGALIS

IN BELGIO ET BVRGVNDIA

INTERNUNTIO APOSTOLICO

Cum Metris & Applausibus Panegyricis

Collegii Societatis Iesv. Paderbornæ 1663.

Mechliniæ, ex Officina IOANNIS IAYE. 1663.

GRATIA
PARNEGYRICA
HABITA IN SACRA MDE
B. M. A. R. I. E.
A. S. P. R. I. C. O. L. L. E. N. S. I. S.
Q. V. A. N. D. O. A. D. I. T. A. M.
A. V. R. E. V. S. T. A. P. E. S.
A. S. A. N. C. T. I. S. T. M. O. D. O. N. O. S. T. R. O.
A. L. E. X. A. N. D. R. O. V. I. I.
D. E. I. A. T. O. S. I. S.
A. S. H. I. S. T. R. I. S. S. I. M. O. S. T. R. E. V. E. N. S. I. S. D. O. M. I. N. O.
H. I. E. R. O. N. Y. M. O. D. E. V. E. C. C. H. I. S.
A. B. A. T. E. M. A. R. I. E. M. O. N. I. S. R. E. G. I. A. I.
I. N. B. E. L. G. I. E. T. B. R. A. N. D. I. A.
I. N. T. E. R. N. U. N. T. I. O. A. P. O. S. T. O. L. I. C. O.
C. U. M. S. T. A. T. U. S. O. S. A. P. P. L. I. C. A. T. I. O. N. I. S.
M. E. C. H. L. I. N. I. S. , e. x. O. f. f. i. c. i. n. a. J. o. h. a. n. n. i. s. I. n. v. e. n. i. t.
1750

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
ALEXANDRO
SEPTIMO
PONTIFICI
OPTIMO MAXIMO.

BEATISSIME PATER



Am annus est, ex quo ab
Archiepiscopo Mechli-
nienfi ad sacra Apostolo-
rum limina missus, à SAN-
CTITATE VESTRA ad sacrorum tuo-
rum pedum oscula admissus sum.
Rursum transeo Alpes, licet non
corpore, tamen submississima animi
devotione, & iterum pedibus tuis
advolutus, ad illos in MONTE QUI-
RINALI depono, ea quæ de sacris
tuis

tuis MONTIBUS, & supereminentis
iisdem STELLÆ TUÆ luce, dicere fu-
stinui in MONTE ACUTO. Et uti dictio-
nis meæ scopus fuit: FUNDAMEN-
TA tua esse IN MONTIBUS SANCTIS,
ita semper votum erit, ut lucens in
iis mysteriosa STELLA, Ecclesiam
Dei multis annis foveat, dirigatque,
ut postea fulgeat in perpetuas æter-
nitates. Datum Mechliniæ Kal.
Decemb. Anno 1662.

BEATISSIME PATER

Sanctitatis Vestræ

Minimus ac Humillimus servus

Franciscus Vandænenne
Præpositus Metropolitanæ
Mechliniensis.

ALEXANDER PAPA VII



D PERPETUAM REI MEMORIAM.

Excelsa meritorum insignia, quibus gloriosissima Cæli Regina Dei Genitrix Virgo MARIA Immaculata, quasi Stella Matutina refulget, intra pectoris nostri arcana devotæ considerationis indagine recolentes, dignum arbitramur & congruum, ut ejusdem Sacratissimæ Virginis Ecclesiam Aspri-Collis seu Montis-Acuti nuncupatam, Mechliniensis Diœcesis, quàm dum in minoribus constituti munere Nuntii Sedis Apostolicæ in Partibus inferioris Germaniæ, conciliandæ inter Reges & Principes Christianos pacis ergò fungebamur, vèrabundi adivimus, & ubi sacrosanctum Missæ Sacrificium celebravimus: aliquo Pontificiæ nostræ liberalitatis munere decoremus. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia & mera liberalitate nostris, dequæ Apostolicæ Potestatis plenitudine, eidem Ecclesiæ S. Mariæ Aspri-Collis seu Montis-Acuti, Tapetem Dilectis Filiis Præposito & Presbyteris Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, ipsius Ecclesiæ Rectoribus, à dilecto etjam Filio, Hieronymo, Abbate S. Mariæ Montis Regalis, nostro in Belgio Internuntio, tradendum & consignandum purè liberè & simpliciter, ac donatione purâ simplici liberâ & irrevocabili, quæ fieri dicitur
inter

inter vivos perpetuò valiturâ, & alio omni, quo possu-
mus meliori & validiori modo, tenore præsentium da-
mus, concedimus & largimur, ac ut Tapes hujusmodi
perpetuò ibidem conservetur, præfatis Præposito & Pres-
byteris, ne eundem Tapetem, quovis prætextu, causâ, &
occasione, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis & locis piis,
ac personis quibuslibet, ad quemcumque usum commoda-
re, vel precariò concedere, & aliàs quomodolibet extra-
here, distrahere & alienare, seu ut commodetur, conceda-
tur, extrahatur, distrahatur vel alienetur permittere au-
deant seu præsumant, sub interdicti ingressûs Ecclesiæ,
quoad Congregationem, & excommunicationis latæ sen-
tentiaë, quoad singulos Presbyteros præfatos pænis per
contrafacientes eo ipso, absque alia declaratione incur-
rendis, perpetuò prohibemus. Non obstantibus constitu-
tionibus & ordinationibus Apostolicis, etjam quatenus
opus sit illâ Fel. Rec. Pii PP. IV. Prædecessoris Nostri,
de gratis qualecumque interesse Camera Apostolicæ
concernentibus, in eadem Camera præsentandis & re-
gistrandis; ita ut præsentis litteras ibidem præsentari
& registrari numquam uocesse sit, ceterisque contrariis
quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam
Majorem, sub Annulo Piscatoris, Die 17. Aprilis. 1662.
PONTIFICATÛS NOSTRI ANNO SEPTIMO.

S. Ugolinus.

ORATIO
PANEGRICA
HABITA IN SACRA ÆDE
B. MARIÆ VIRGINIS
ASPRICOLLENSIS

Ipsius Assumptionis Festo die, 1662.

Fundamenta eius in Montibus Sanctis. Psal: 86.



VAMQUAM magna sint opera Domini,
& magnus sanctusque sit ipse in omni-
bus operibus suis, in maiorem me tamen
semper tria mirabilis structuræ opera,
Civitatum instar exædificata, admiratio-
nem rapuere. *Creavit Deus Cælum & terram. Creavit Gen. 1.*
Cælum fundavitque & erexit in Civitatem. *Vidi, exta-*
ticus inquit exul Ioannes, sanctam Civitatem Jerusa- *Apoc. 21.*
lem novam descendantem de Cælo, à Deo paratam sicut *vers. 2.*
sponsam ornatam. Qualem hanc putetis Civitatem,
quæ à Deo parata, munita? quibus illa fundamentis
superstructa esse debuit, Quibus septa & tecta muni-
mentis? Describit Ioannes, cui datum eam lustrare.
Civitas in quadro posita: audis situm. Habet funda- *ibid.*
menta duodecim: audis soliditatem. Murum magnum
& altum habentem portas duodecim: audis fortitudinem
& munitionem. Vis decorem & ornamentum? Ab in-
colis, Civitate tam nobili nobilioribus, sanctis Dei
Angelis, accepit. Et tamen illa Civitas tam nobilis,

A

tam

tam ornata, tam in quadro posita, id est, tam stabili
 nixa fundamento, illa Deo proxima Civitas, imò Dei,
 uno superbix ambusta fulmine, magna ex parte corruit,
 Luc. 10. testante ipso apud Lucam Dei Filio: *Videbam sata-*
 vers. 8. *nam, sicut fulgur de Cælo cadentem, & grandem post*
 se trahentem ruinam, quâ nempe rebellium antesignanus Lucifer (Noctiferum dicerem aptius) tertiam stel-
 Apoc. 12. larum partem ex lucidissimo æthere in æternæ noctis
 vers. 4. caliginem secum demersit.

Defecerat illa; stabat altera, amœna terrestris Civi-
 tas Paradisi. Erat hæc vallô munita gratiæ, erat deliciis
 instructa naturæ: incola hujus factus est homo & civis.
 Valida sanè Civitas, pulchra, supernæ beatitatis æmula,
 & illius tandem obtinendæ arrha indubitata. Erat hinc
 homo, cujuscumque miserix nescius, de temporaneis
 ad æternas iturus delicias, & vacuas rebellium Angelo-
 rum sedes impleturus. Felix civis, fortunata Civitas, si
 sic mansisset! Non mansit, nutavit brevè, corruitque
 & ipsa, dum illius rector, qui sub suo cuncta habiturus
 imperio rexisset ut voluisset, levi inanis gloriæ, *Eritis*
 Gen. 3. *sicut Dii, sibilò, uno vanæ curiositatis Vidit, mulier,*
quòd bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum
oculis, abreptus flatulo cadens, suos in miseriarum
barathrum secum posteros præcipitavit. Sic binæ Dei
structuræ, binæ tam nobiles Civitates in propriam ultrò
lapsæ sunt ruinam.

Vidit, casumque earum doluit, qui condiderat Deus,
 aliamque concepit & perfecit Civitatem, cui nulla hos-
 tilium oppugnationum violentia, nullus insidiarum
 frau-

fraudulentus aditus, nulla eminens aut cominus machinamenta, nedum in parte aut in toto nocere, sed neque valerent appropinquare. Ut fortem, vereque inexpugnabilem faceret, fundamentales ex totius naturæ gratiæque thesauro conquisitos lapides in montibus posuit. *Fundamenta ejus in Montibus Sanctis.* Psal. 86. Valida, ardua, inaccessibilis Civitas, cujus in montibus fundamenta: ideoque ardua & inaccessibilis magis, quia in montibus sanctis.

Et quis ille, qui eam in montibus, & in montibus sanctis posuit? *Ipsè fundavit eam Altissimus.* Ipsè? Psal. 86. Verè fortis, valida, invincibilis, nullam unquam visura ruinam Civitas, cujus ipse, ipse Altissimus in montibus, & illis sanctis, posuit fundamenta! Expectatis Auditores, ut, quæ sit illa civitas, cujus tam altè, tam sanctè ipse jecit fundamenta Altissimus? Alta video est vestra curiositas, altiorem adhuc volo, quia volo sanctam. Nolite profanam hîc quantumvis validam & magnam, civitatem cogitare; omni datâ majorem volo & sanctiorem. Iam video, per sublimia vagantur cogitationes vestræ; sinite altiùs altiusque ascendant illæ. Fingite vobis quamcumq; editissimo vel Pelio vel Olympo impositam Urbem; vincam cogitationes vestras, exhibebo celsiorem. Quænam tandem illa? Accipite non à me, sed SS. Ecclesiæ Patribus. Hæc est Gloriosissima Virgo Dei Mater M A R I A, triplici, ut de Ierosolyma scribit Iosephus, vallata muro, triplici præservantis gratiæ contra triplices peccati vires munita privilegio. Murorum robur Deus ipse est. *Salvator po-*

Isa. 26. *netur in ea murus & antemurale.* Et ideò gloriosa di-
 vers. 1. *sta sunt de te Civitas Dei:* ideoque mira undique ad
 psal. 86 te confluentium multitudo. *Alienigenæ & Tyrus &*
populus Æthiopum hi fuerunt illic: ideò *letantium*
omnium habitatio est in te. Ita ut quidquid vel muni-
 menti vel ornamenti possit excogitari, hæc habuerit si
 habuerit ulla. Quid? parum dixi: quod nulla habuit,
 quod nulla habet, quod nulla habebit, habuit MARIA.
 Et ego hanc dimetiar Civitatem? mearum conscius
 virium non audeo, non præsumo. Et tamen aureus
 Tapes hic, vel muto me excitans præconio, non sinit
 filere. Quid ergo dicam? Montes continens ad Mon-
 tem à Montibus mittitur Stellâ superne coruscans. Di-
 cam, *Fundamenta ejus in Montibus sanctis.*

Vt inde noscamus omnes, quòd Sanctissimus D. no-
 ster ALEXANDER Papa VII. (cui ad publicam felicitatem
 multos annos concedat Deus) fundamentale stellæ suæ
 in montibus sanctis, id est, omne suæ spei & fiduciae lu-
 men posuerit in MARIA. Et sicuti Marianæ huic Ci-
 vitati ultra solis & lunæ jubar (*Mulier amicta sole &*
luna sub pedibus ejus) coronantes affulgent Stellæ
 (*& in capite ejus corona stellarum duodecim*) quare &
 illa nunc matutina, nunc maris Stella ab Ecclesia dicitur;
 Stelleque sint, quæ fluctuantes in vasto mari naves feli-
 citer perducunt in portum: quòd ita Beatissimus Ponti-
 fex lucidam suis in montibus stellam præferat, qua filios
 suos in hujus vitæ fluctibus periclitantes ad æternæ, tan-
 quam certâ cynosurâ, portum gloriæ faciat appellere. Ut
 ad hos eatis montes, ut Stellæ hujus lumen ductumque
 sequamini, unus orationis meæ erit conatus, unus finis,

Apo. 12

Magni sunt montes; ideò montes sunt : majora latent in montibus Myſteria, ut ideò ſint majores. Et quia ſupra reliquam terræ planitiem mole ſua conſpicui eminent, ideo illuſtriorum operum Deus hoſce tanquam theatra quædam elegit. Volvite ſacras paginas; ſi quid grande, quid inſolitum, vel divinâ manu patratum, vel divino juſſu perfectum ab hominibus, in editiore paſſim monte aliquo, veluti ad ſpectaculum editum reperietis. Alta in altis facta. Vbi magnum illud, illud arduum, illud ipſâ celſius naturâ ab Abrahamo Filii ſui ſacrificium fieri voluit? In monte. *Offeres illum in holocauſtum* Gen. 22. *ſuper unum montium quem monſtravero tibi.* Vbi ipſe populo ſuo ſuam ſcripſit legem, deditque Moyſi? In monte. Vbi pugnanti contra Amalechitas Iſraeli una Exod: 17 *Moyſis Oratio* perfecit victoriam? In monte. In monte 3. Reg: 18 Baalitas ſuperans veri Dei teſtimonium extorſit Elias, pluviâque impetrans nubeculam, M A R I Æ, incarnationisque myſterii notitiâ gravidam vidit & amavit. Sic in Lege veteri ſublimia viderunt ſublimes montes; viderunt & in novo. Si orabat CHRISTUS, orabat in Mt. 14 *Monte.* *Ascendit in Montem orare.* Si Diſcipulos imbuebat doctrinâ; vicino cœlis imbuebat loco; verſ. 23 *ascendit in montem & docebat eos.* Si eminentis gloriæ ſuæ Ioan. 8. *erat monſtraturus radios, Diſcipulorum tres in montem Thabor duxit, & tranſfiguratus eſt ante eos.* Denique Mathe. 17. 2. illud cœlo terræque ineffabile ſui ſacrificium in Monte Calvariæ voluit immolare.

Magnum ergo innuit myſterium David, dicens: *fundamenta ejus in Montibus Sanctis*; majus Ezechiel &

Ifaias, dum ipsam comparant monti; maximum vero, dum altum in vertice montium deprædicant montem.

Mons Domus Domini præparatus in vertice montium.

Ifai. 2. vers. 2. Esse montem, mysterium est; in vertice montium, prodigium est; montem domus Domini, Sacramentum est: Nec aliud mysterium, prodigium Sacramentum, quàm divini Verbi incarnationis. Prævidit Abacuc

Abac. 3. vers. 3. & prædixit: *Deus ab austro veniet & sanctus*, ut vertunt 70. *de Monte umbroso.* Umbroso; ut illa notetur umbra, quam erat semel habiturus ille mons, dicturo ad eam Angelo, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Umbroso; ut adeo incomprehensibile innuatur mysterium, nullius ut acumen attingat ingenii, positumque ante oculos & intellectus hominum, caligo & tenebræ videatur.

Psal. 17. vers. 10. *Inclinavit cælos & descendit, & caligo sub pedibus ejus.*

Non solum ergo Mons M A R I A est, sed, quod monte majus est, *fundamenta ejus in montibus sanctis.* Operibus suis sublimati sunt Sancti, & ingentibus apud Deum meritis magnos creverunt in montes. Iecit in his magnis, & in sanctis his montibus sanctitatis suæ M A R I A posuit fundamenta; Vt ubi reliqui finierunt Sancti, ubi virtutum suarum erexêre fastigium, ubi *Non plus ultra* posuêre; ibi suum M A R I A cœpit habere exordium. Quæ enim in Petro magna, in Paulo sublimia, in Ioanne Baptista, aliisque Sanctis sancta sunt & gloriosa; ad M A R I A M collata, tyrocinia sunt virtutum. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Dicamus audacter, digniora esse hujus fundamenta, quàm aliorum
San-

Sanctorum Dei montium præalta fastigia. Quid ni dicamus? divini Spiritus juvat oraculum. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Quid hoc est? Planius dicam. E supplantatoribus (hoc Iacob innuit) vitiorum, Deum videre (quod alterum illius nomen Israel vult) digni facti Sancti, perfectionis in gloria tabernaculum perfecerunt. Civitas Sion MARIÆ est; portæ ejus, initia ejus sunt. Iam capitis? Illas Sionis portas, illa MARIÆ initia, diligit Dominus super perfecta sanctitatis tabernacula, super consummata perfectionum fastigia, & his magnis majora, & quantumcumque altis jam tum excelsiora. Bene proinde S. P. Gregorius: *Mons in vertice montium fuit, quando altitudo MARIÆ super omnes sanctos refulsit.* Sic in montibus sanctis semper fuerunt & sunt MARIÆ fundamenta. Quòd adhuc sint, nunquid ostendit illa, dum præcipua, quibus coli vult, loca, elegit montes? Apostolorum tempore, primum ei adhuc viventi dedicatum in mundo sacellum, S. Agabus in Carmelo monte construxit. Sub LIBERIO Papa, dum nivea virgo magno nivis miraculo condendi sibi templi ostendit locum, elegit montem. Res sic habet. *Nonis Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, nix partem collis Exquilini contexit.* Vbi nix jacuerat, Templum *Mariæ Majoris* stare coepit, tali titulo, quia miraculorum patratiōe, dignè nuncupatum. Vt de aliis Mariano cultu, quàm terrarum mole, altioribus nil dicam *Montibus*, sacratissima illa domuncula, dum Angelorum succollantium ministerio per aërem est transf-

Psal. 86.

Greg. in
1. Reg.Lexana
in appa.
ad ro. 2.
Annal.
Ordin.
Carmel.
cap. 6.Brevia.
Rom.
5. Aug.

transportata, quo loco jussu M A R I Æ fuit collocata? in monte, in monte lauris confito, in Monte Lauretano. In monte, ad quem excîtus devotione mundus à quatuor partibus confluit, ut illam celebrem, illam pretiosam, illam sanctam liceat intrare Domunculam, pia libare oscula, preces fundere & mitissimam orare Virginem & exorare. Quot ibi non tam oris osculis quàm animæ votis sanctos lapides exosculantur! quot non tepidis ibi lachrymis irrorant pavementum! quot non internis ibi perfunduntur solatiis, entheisq̄ue excitantur affectibus! sed illos eloqui poterit nullus, nisi qui præsens secreto tactus igne, quasi noto nec noto numinis afflatu colliquescens, sacri loci senserit venerationem. Sic bina illa, præcipua Italiæ loca, in quibus tanto colitur accursu M A R I A, in montibus sita sunt.

Fundamenta ejus in montibus sanctis.

Felices, quibus ex vicino sæpe religiosis oculis respicere, adire gressibus, premere genibus consecratos Virgini colles conceditur! At nos quanto terrarum tractu disjungimur? Non invidemus tamen Italiæ Marianam edito posita delubra; habet, habet quamvis inferior, nostra Germania, montes à Dei Matre electos, montes, in quibus cultus sui locavit fundamenta. Et quamvis non liceat nobis sanctos illos longèque distotos montes ascendere, nec simus Romæ, ut ad celebrem nivis locum gelu nostrum deponamus; nec ad mare Adriaticum, ut ad mysticam illam laurum confugiamus; tamen locus, in quo stamus, terra sancta est. Ut etiam nobis Belgis gloriari fas sit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

Mitto

Mitto * montem tertio Bruxella lapide situm, olim ^{* Alsem-bergh.} Abfinthy nunc mellis feracissimum ex quo annis ab hinc amplius 400. prodigiosa in eo Virginis statua à S. Elisabetha Hungari Regis Filia fuit collocata. Prætereo intra ipsam Urbem vicinum Aulæ clivum * frigidum ^{* Candē-bergh} antea, nunc continuis luminaribus & ardentioribus votis calentem, ex quo in illum expulsa Sylva-ducis MARIÆ Imago plus quadringentis miraculis celeberrima commigravit. Sed præcipuè hic ipse in quo consistimus collis tam asper olim & inaccessus, nunc principum nostrorum ALBERTI & ISABELLÆ munificentia tam lenis atque elegans, tam culta, tam splendida Virginis sedes, quam latè portentorum admirabilitate fama venerationis coruscat. Quantus ad hunc locum peregrinorum concursus, nec vulgarium sed prima dignitate eminentium! Quoties hic illustrissimos Principes, Celsissimos Duces, Eminentissimos Rom. Imperii Electores, Serenissimos Archiduces aris suis adstratos supplicesque Cœli Regina spectavit. Ipse quoque SS. mus D. N. ALEXANDER VII. quàm nunc absens, munere præsens, demississima pietate annos ante 12. veneratus est, in sanctis his montibus dudum montium suorum soliditatem fundavit, ad hos dudum coruscans stellarum suarum, spei inquam fiduciaque suæ, lumen direxit, dum nedùm sanctos in Italia MARIÆ Majoris & Lauretanæ montes invisit, sed & in Belgio asperum hunc montem voluit adire. In loco hoc sancto steterunt pedes ejus: vidit illum hæc Ara, viderunt incolæ, viderunt advenæ, vidit illum Diva, nec satis; audivit.

B

Sinite

Sinite quod vos vidistis me narrare. Erat ille anno 1650. INNOCENTII X. Pont. Max. fel. rec: ad tractum Rheni Nuntius, ejusdemq; Monasterium pro pace legatus. Ad tam asperum missus negotium, asperum adivit montem: sed quem asperum audierat, dum adiit, tam lenem invenit, ut acutam Martis obtundens aciem, lenem pacis protulerit olivam. At quomodo? Adoravit in monte sancto hoc, illaq; ad Aras S. Missę sacrificium tanto devotionis fervore, tanta ędificatione, & majestare immolavit, ut omnes quotquot erant in templo, ad illorum suis jungendas preces quasi in mentis traxerit excessum. Credo ego tunc illum ibi maxima animi devotione dixisse cum Davide:

Psal. 120

Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi. Oravit in monte aspero ut lene veniret auxilium. Et quid? Tam altę in Monte hoc, in MARIA inquam, radicam fiduciam nunquid probavit Deus? probavit dum exaudivit. Asperum illud pacis universalis tam bene inchoatum promovit negotium, acutum ut terminarit bellum, & lenis à quercu pax germinaverit. Hoc magis probavit Deus, dum relata clarum oliva, in Monte Quirinali, unde universam nunc regit Ecclesiam, collocavit, dum

Mat. 16
vers. 18

ei, alteri Petro dixit: *Tu es Petrus & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam*, quasi diceret, quia in monte sancto, in MARIA Matre mea, tuam fixisti fiduciam, ego montes tuos, quos non sine mysterio tua pręferunt insignia, sanctos faciam, & in illis ędificabo Ecclesiam meam. Cũ hoc? *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Sic Deus suę Matris tam amantem, ęternã suã providentiã sublimavit & Ecclesię suę consti-

constituit caput. *Erit mons in vertice montium.*

Isaie. 2.
vers. 2.

Sublimis jam in montibus sanctis, jam mons in vertice montium, stetisse se aliquando in sancto hoc colle non oblitus, suos in illum illis est montibus oculos dimisit, dum pretiosum hoc munus dum huncce misit & obtulit MARIÆ Tapetem suis insignitum montibus, in signum non velle se aliud habere fundamentum quam in montibus sanctis. Non solum illud jam ostendit aut ostendere incepit, sed omni Pontificatus sui anno simile exeruit monumentum, ut in montibus sanctis sua probet esse fundamenta. Hæc ejus sunt verba quæ ex sancto illius ore Romæ indignus excepi: *Singulis annis Pontificatus nostri mittimus aliquod donarium ad aliquam Imaginem Miraculosam Deiparæ, anno hoc coniecimus oculos nostros in montem acutum.* Nec ullus (id sublimis animi ejus spondet magnitudo) ambigendi est locus, quia stellæ suæ, Mariani honoris zelo magis quam lumine suo coruscans radios undique per orbem magis innotescere faciet diversa, diversas ad partes Divæ mittendo donaria. Exurge orbis Christiane, luciferos intuere montes, agnosce summi ALEXANDRI rutilantem amorem, agnosce æstuantis animi indicia, amat, ardet, æstuat MARIAM. At tu præsertim exulta, tu altius altiusque te effer Mariane collis, quando te, quem summi omnes infimique, quem totus colit Christianus orbis, Dei in terris Vicarius, donis suis colit. Mittit Tapetem, in Tapete insignia, in insigniis cor, in corde totum ALEXANDRUM. Scilicet nequit à monte hoc, ejus dudum oblitus asperitatis

totus abesse: tenet septem cum montibus Roma nequit adesse: ut illo quo potest adsit modo, adest corde, adest mente, suo jam misso adest in dono, adest ut suo nos provocet exemplo, sic juvat adesse: adest, ut sibi adsit M A R I A.

Beatissime P A T E R liceat tuo nunc nomine proferre verba quæ olim pius Abraham, meliorque patre Deicultor, ad destinatum filii pergens sacrificium, dixit ad suos. *Postquam adoraverimus revertemur ad vos.* Ades hic tuo in legato, adfers in illo tuum donum, offers illud & in illo Te M A R I Æ, tuosque illi sacras montes, & dicis, *Postquam adoraverimus revertemur ad vos.* Quid? ades? adoras? & reverteris? sic est, nequit tuus amor otiosus esse; reverteris ad M A R I A M, aliis illam ubi colitur, invenies locis, ibis tuis cum donis & totum in illis iterum offeres A L E X A N D R U M.

Bene est, fidit M A R I A, tuis fidit in montibus, quos nisi in ipsius fiducia non vis esse solidatos. Quid ni fidet illi? illam circumstant, defendunt. Non digredior Auditores; hærebo in montibus, duce stella non errabo, quæ hærentem in montibus ostendet arcam. Aquarum diluvio obrutum nostis mundum, & Arcam, postquam diu fluctibus innatans hac illacque fluitasset, super montes Armeniæ requievisse. Arca, quid nisi M A R I A est inquit Ambrosius? Surgit ingens ingeniorum diluvium, Arca variis opinionum quatitur fluctibus. A quo, ubi, quomodo salvabitur? O quot illa jam inde à primo Ecclesiæ exordio quassata turbinibus, quam gravibus insanientis Nestorii, Lutheri, Calvinii, aliorumque
id ge-

id genus turbulentorum ingeniorum agitata procellis!
 Nunquàm tamen obruta, quia in montibus non Ar-
 menis sed Romanis tuta confedit, tuentibus semper
 Virginis causam Petri successoribus, in Apostolicæ fidei
 Petra Arca conquevit. Et nuperrime in ALEXANDRI
 montibus quàm tutum accepit portum? Notum omni-
 bus quos fluctus & superiori & hoc sæculo excitarit dissi-
 dens Catholicorum de MARIÆ Conceptione sen-
 tentia; his, sed paucis, maculâ infectam, purissimam
 aliis, iisque longè pluribus, contendentibus. Quis hos
 componet motus? Quis pugnantium pacabit opinio-
 num tempestates? Quis hisce agitatum Arcam subducet
 in tutum? Laudo vehementer celeberrimarum per Eu-
 ropam Academiarum egregium conatum pro asserenda
 Virginis Immaculata Conceptione (nisi aliter Roma
 pronuntiet) religiosè conjurantium, Ad quas accessere
 nuperrimè Illustrissimi Amplissq; Brabantiaë Ordines
 solemnè publicè voto contestati, dùm per dei Vicarium
 licuerit, à Virgine se purissima, suspicionem labis omnis,
 opibus, linguâ, manu, vitâ ac sanguine depulsuros.
 Laudabilè enim verò studium, quod tamen frangere
 quidem aliquantùm tempestatem queat, non sedare.
 Scilicet Vni, cui navis suæ regendum clavum Dei Filius
 commisit, Vni inquam in ventos illos concessit impe-
 rium, ut has decertantium opinionum procellas verbo
 queat serenare. Ille ergò, Catholici Regis nostri, qui non
 secùs de Virginis quàm Regni defensione laborat, assi-
 duis precibus motus, imperavit ventis & mari: edita su-
 periori festo Conceptæ Virginis Apostolicâ constitu-
 tione

tione, tanto Pontifice digna, & indicto adversariis sub gravissimis pœnis, excluso quovis prætextu in perpetuum altissimo silentio, declaravit & sanxit, pium, devotum, & laudabile esse, celebrare festum, & cultum exhibere Conceptioni Virginis Deiparæ, secundum piam sententiam asserentem animam B. MARIÆ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à peccato Originali præservatam fuisse. Et ecce Facta est tranquillitas magna: abiit diluvium, cessant fluctus, subsiderunt aquæ, evanuerunt opinionum dissidia, ita ut dicere liceat, sicut olim illa Noë Arca *Requievit super montes Armenia*, sic nunc M A R I A vera potius Arca *Requievit super montes Chisios*.

Gen. 8.
vers. 4.

Vbi sum? quò feror Auditores? Ecce in altos illos ascendi montes, & à stella quam in culmine video perstringor lumine. De montibus dixi: agite, aliquid de stella dicamus. Annuitis video, desiderium tanta indicat attentio. Venite ergò & *ambulemus in lumine Domini*.

Isai. 2.
vers. 5.

Quam vicinus est exitio qui lubrico ac præcipiti calle densas per tenebras incedit? quàm timidè gressum promovet, quam anxie palpat, quam crebro impingit, cespitat, prolabitur? Credite: faciliùs oculis captus aliquis per arduam, inflexam, angustam & immani imminentem voragini, semitam celsi montis evaserit in iugum, quàm cœlestis gratiæ luce destitutus, Deum, veramque in illum fidem assequatur. Signatum quidè super nos lumen divini vultus: Mens, Imago Divinitatis, rationis naturalis faciem in nobis præfert, sed quàm densa

densa huic, ductæ ex parente noxæ, caligo circumfunditur. Res mira, Deus ipse qui purissima lux est, instar solis orbi exortus est, nec tamen agnitus. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Tanta mortalium cœcitas, ut cum lumen videant egeant lumine. Testes vos mihi tres Orientis Dynastæ, divinorum incunabulorum adoratores. Dicite, amabo, unde vobis natus orbis servator innotuit? *Vidimus* inquit, *Stellam ejus in Oriente.* Itanè candor lucis æternæ, increatus justitiæ Sol, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, astro eget indice? An non satis suus illum fulgor prodit? at qui tamen à stella ad solem ducuntur Magi, & ita ducuntur, ut simul atque illa se subduxit oculis, anxii, quorsùm pergant penitus ignorent: ubi verò se rursus ostendit, inoffenso pede optatam longæ profectiois attingant metam. *Ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.*

Ioan. 1.

Mat. 2.
vers. 2.Mat. 2.
vers. 9.

Ausimè dicere & modo ad Deum ituris opus duce stella? Quin ausim? quando & SS. m. Viri, & ipsa Ecclesia præit in vocem. Notum vobis encomium, quo Virginem inter cœtera, stellam maris, stellam matutinam salutat. Quid autem; an stellâ egemus quos pleno jubare Sol irradiat? Egemus sanè: nec nisi in lumine videre possumus lumen: sic illi placuit qui omnia nos habere voluit per MARIAM, etiam se. O quisquis cimeria peccator in nocte, procùl à cœlo, procùl à salute exerras, quicumque fervore vitiorum excœcatus, ab interioribus animi tenebris, ad tenebras ruis exteriores, attolle

attolle mentis oculos, ex Bernardi consilio *respice stellam, voca MARIAM*. Si criminum enormitate ter-
 ritus, si iudicis expavescens justas iras, fluctibus incipias
 obrui tristitiæ, barathro absorberi desperationis, *Respice
 stellam*. Recreabit illa te amica luce, eriget in certam
 veniæ spem, mœroris discutiet nebulam, & excipiendis
 æterni Solis radiis suavissime aptabit. Quam multi nunc
 stygia apud inferos palparent in caligine, nisi per hanc
 stellam ad Solem, per MARIAM ad Deum feliciter per-
 venissent. Qui fit ut in hac sacra Virginis æde conspici-
 antur toties homines flagitiosissimi, quibus cor ante pu-
 mice durius, rigidius adamante, toti in lachrymas gemitusque
 colliquescere? Vnde subita quæ oboritur illorum
 mentibus lux? Vnde scelerum tam clara notitia, distin-
 cta explicatio, succensa fervensque amore pœnitudo?
 Vnde inquam nisi à salutari hujus fideris influxu? Sic
 perge, ô perge tempestuosi hujus maris stella ad æterni-
 tatis nobis portum prælucere. Vibra lucis salutaris om-
 nes in partes radios, nec fit qui à splendore tuo se ab-
 scondat.

Sublimiori in æthere fulgidissimum hoc sidus rutilat,
 aliud in inferiore (ut ita dicam) aëris regione, cœlum
 ac beatitudinem quærentibus, haud minùs necessarium:
 Intelligitis quod denotem? Illud ipsum quod exortum
 olim in Petro nunc in illius successore ALEXANDRO VII.
 sublime coruscat in montibus, & jubar suum totum per
 orbem diffundit. Ad hoc cum Christiani omnes debe-
 ant respicere, tum præcipuè qui arcanas religionis quæ-
 stiones subtiliori ingenio indagant; nemo tam perspi-
 cax

cax ingenio, tam acer mente, qui si avertat ab hoc fide-
 re oculos, non caliget, non cœcutiat, & in teterrimam
 errorum noctem devolvatur. Quot non ingenia Deum
 se quærere protestantur, dum scrutantur veritatem? Deus
 Veritas est. Veræ initium felicitatis Deum quærere,
 quærere veritatem. Sed quærunt, non inveniunt: nem-
 pè suo illum quærunt lumine, sua quærunt prudentia,
 quoque sic quærunt magis, magis ab ipsa quàm quæ-
 runt, elongantur veritate. Quis ignorat luctuosissimos
 casus virorum doctissimorum, qui, cum neglecto hoc
 lumine, fatuos opinionum suarum sequi cœpere ignes,
sidera evasere errantia. Nunquid non multis annis vi-
 dimus? Nunquid non per mille curarum & studiorum
 anfractus vidimus indagantes veritatem, & quæsita
 semper inventionem frustratos? Nunquid non sæpe le-
 gimus audivimus, vidimus homines, qui veræ sanæque
 doctrinæ ardentissimum præ se ferebant studium, hære-
 ticas propositiones pro fidei dogmatibus astruentes, ac
 mordicus defendentes? Vidimus, doluimus. Quid hoc
 est? Nuda, clara, obvia est veritas, & licet nuda non
 fuit agnita, licet clara non fuit visa, licet obvia, non
 fuit acceptata. Nunquid mirum? Hanc non dico la-
 tuisse, sed potuisse latere; latuit tamen, & tam sollicitè,
 tam laboriosè latuit quærentes. Vnde præclarissimis
 ingeniis tam densa offusa nox? Dicam quare. Deflexe-
 re oculos à lucerna quàm accensam in Petro hodieque
 lucentem, religiosius quàm Vestalem olim ignem Roma
 servat. Stellæ ductum sequi oportuit, lumen ejus aspici
 debuit & in illo quæri. Clarius dicam: Illustratæ desu-

*Epist.
S. Iudæ.*

C

per

per lumen Ecclesiæ sequi oportuit, lucentis in *Chifis* montibus, Romani inquam Pontificis, Stellæ, Apostolicarumque definitionum ductum sequi oportuit, & ad æterno clarum fulgore illa duxisset veritatem. Qui aliter quærit, in tenebris quærit, suum ipse quærit præcipitium. Verum longiùs abducunt nos errores isti, & deflectentes illi, à nostro nos deflecterent proposito. Linquamus illos & superstantem Montibus Stellam sequamur, ut tanto Summi Dei in terris Vicarii exemplo, amemus M A R I A M. *Magi videntes stellam dixerunt ad invicem: Hoc signum Magni Regis est, eamus & inquiramus eum & offeramus ei munera.* Videtis illam stellam? Hoc signum Magni Regis est, hoc sanctam Regentis Ecclesiam signum est, hoc Dei in terris Vicarii signum est, illam sequamur, suo nos ducet lumine, radiisq̄ue cor penetrantibus memores faciet, ut & nostra M A R I A E munera offeramus. Non sentitis? Video erectos vultus, jam calor corda afficit, & sacra gestatis dona. Agite ergo offeramus ei munera: aurum puri amoris, amari & contriti cordis myrrham, sinceræ, cœlumque pulsantis thus orationis. Illius vos monere, eò vos fulgens illa in Monte hoc, Stella debet dirigere. Dumq̄ue tot positas in convexo templi hujus fornice stellas eminus conspicamini, cogitate sub illis, hanc in Pontificio Tapete stellam conservari, & longè illa melius Vos ad M A R I A M, ad hoc templum alliciet, quàm omnes illæ deforis fulgentes stellæ.

Vidistis hæctenus quanta sint in montibus & stellis omina, quanta insint ad virtutem, inveniendamq̄ue verita-

*Breviar.
Rom. in
Epiph.
Domini.*

Magi videntes stellam dixerunt ad invicem: Hoc signum Magni Regis est, eamus & inquiramus eum & offeramus ei munera.

veritatem incentiua & signa. Vidistis quàm promptè,
quàm aptè, quàm sanctè mysteriosi Pontificis montes,
& prodigiosæ illius stellæ se advolvant ad sanctos hos
montes, se ad maritimam hanc conferant stellam
M A R I A M. Agite crescite in montes; potestis me-
ritis, lucidas vertimini in stellas: licet virtutibus. Nec
finitura quamvis mea te silentio transibit Oratio *Illu-
strissime Internuntie*: An putes quod ad sanctos Ponti-
ficis in monte hoc offerendos montes electus sis, omi-
ne vacare? Non vacat, auges omen, auges myste-
rium, suos fundat in montibus sanctis, in M A R I A
inquam montes, mons ipse Summus A L E X A N D E R,
per te monti in vertice montem offert, & peculiari non
sine omine Titulum adfers: Abbas B. MARIÆ Mon-
tis Regalis; omen est, mysterium est, & *Chisiorum*,
Summo Ecclesiæ vertice montium mysterii comple-
mentum. Scilicet melius assumere, aptius dicere non
potui quàm: *Fundamenta ejus in Montibus Sanctis*.
Quid dicam? Quid addam amplius? amplius nequeo;
stellæ perstringor lumine, montium superior altitudine,
fundamentorum vincor profunditate. Hæreat tamen
infixa cordi; ideoque dum lingua deficit verbis, dese-
ctum illius vivo venerabundæ mentis supplebo si-
lentio: sic ab illius instruor Montibus, sic ab illa diri-
gor Stella, dum hoc orans in monte, suum Sanctissi-
mus *Montium Custos* A L E X A N D E R sic claudit votum:

Lingua sile, melius tacitæ suspiria mentis

Clamant, & vocem cor lachrymantis habet.

Smus D.

N. Alex.

in Poem.

suo de D.

Aspri-coll

Dixi.

C 2


A P P R O -

APPROBATIO
CENSORIS

O Ratio hæc panegyrica habita per Reverendum Admodum ac Amplissimum Dominum Franciscum Vanden Venne Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Canonicum, Præpositum, placet ingenio, placet eloquentia, pulcherrimè ac piissimè salit in Montibus: & à Montibus mirabiliter & suaviter illuminat: dignissimaque est, per quam Beatissimi Patris Nostri ALEXANDRI Papæ Septimi, Illustrissima ac Sanctissima erga Deiparam Virginem devotio, toti mundo refulgeat. Datum Mechliniæ die 11. Decembris. 1662.

LAURENTIUS NEESEN Theologus
Canonicus Metropolit. Mechliniensis & Librorum Censor.

METRA
PANEGRICA



PROTREPTICON

IN VOTIVVM DONARIVM
DIVÆ ASPRI-COLLENSI

MISSUM AB

ALEXANDRO PAPA VII
pontificatus sui anno septimo.

Ode Sapphica Heptastropha

Guil. Buri, BRUXELL. CAN. MECHL.

PONTIFEX SUMMUS sua dona mittit
ASPERUM-COLLEM, properate vates,
Versibus dignis celebrate tanti

Munera Patris.

En TAPES multo pretiosus auro,
Plurimâ necnon speciosus arte:
Quem loco MONTES medio supremi

Præfulis ornant. *Arctophi
lax vulgo
qui dicitur
esse
Bootes,
Castos*

Cernitis STELLAM super-eminentem?
MONTIUM hæc CUSTOS meritò vocetur:
Vt Poëtarum referunt fuisse

Metra Bootem. *Eryman-
tidos urse
Met. l. 2.*

MONTIUM QUERCUS latus obsidere
Sueta, nunc MONTES graphicè coronat:
Magna servati fuit illa quondam

Gloria Civis. *Corona
Quercus
Civica.*

Hunc

Hunc ALEXANDER tibi DIVA donat
SEPTIMUS, MOTU PROPRIO, TAPETEM
Septimo (nunquid latet omen?) anno

Pontificatus.

*I. Lipsius
in Diva
Virgine
Hallensi.
Cap. 4.*

IULIUS motu simili SECUNDUS
Lampadem Insignem quoque misit Hallas:
Querneæ cujus pariter fuere In-

-signia frondes.

Ecce quot Stellis Sacra fulget Ædes

Asperi-Collis : superabit omnes

Stans super MONTES CHISIANA tali

STELLA TAPETE.

HEPTAS CHRONOGRAPHICA.

ô In Monte tVo CVLta Delpara!

tIbI tapeteM saCrat ALEXANDER.

Defert Vr abbate MontIs regaLIs proCVrante:

parCensI præLato In DIVInIs MInIstrante,

MeChLIInlensI præposItO aVDItOres InstIgante,

VatIs CanonICI LYrâ felICIter aCCLaMante,

assVMptæ propriâ LVCE Delparæ.

AD INSIGNIA
GENTILITIA FAMILIÆ

CHISIANÆ,

Quercu frondosâ, sex collibus &
Stellâ supereminente, in Tapete
contexta & adumbrata.

I Lice frondoso, sexteno colle, micanti
Sidere, contextus mittitur Vrbe Tapes.

Qui mittit Sedis Primæ est super omnia Præsul,
Servus fervorum, Virginis, atque Dei.

Qui defert, Sedis pariter Pro-Nuncius, Abbas
Virginei Montis, nomen & omen habens.

Res hæc prodigiis plena est: Tibi namque MARIA,
Reginæ Quercus, Collis & Astra placent.

Quercus sacra Iovi est, sicut finxere Poëtæ:
E cujus cerebro nata Minerva fuit.

Tu vera es Virgo Pallas, ante omnia terræ
Gramina ab æternò mente creata Dei.

Tu vera es Quercus, nunquam expugnabile scutum
Contra hostes Fidei tartareasque minas.

Hinc etjam sanctis Fidei fundamina ponis
Montibus, inque tua consolidantur ope.

Tu Rupes, Tu Mons, Atlas Tu jure vocaris:
In te fulcitur terra & uterque polus.

Nonne ideò Clerus tibi consecrat undique Colles:
In quibus & tua laus, gloria honorque vigent?

D

Testis

Testis Carmelus, Tibi qui caput inclinavit:
 Dum gravidæ Elifabeth pergis adire domum.
 Quique Cane ardenti niveo fuit ore decorus,
 Hoc Exquilini Mons docet ipse jugi.
 Hoc Mons Serrati, Hispanis conterminus oris:
 Qui celebrat laudes nocte dieque tuas.
 Hoc quoque qui Belgis Asper fuit atque profanus:
 Iam per te lenis redditus atque sacer.
 Annosâ in Quercu hîc inventa salubris Imago est:
 Cui sua dona sacrat Maximus ille Pater,
 Quam si quis moriens digno veneratur honore,
 Ille statim domitâ morte resurgit ovans.
 Si quis febricitans, languens, afflictus & æger,
 Hinc liber morbis, incolumisq̃ue redit.
 Collibus his aptè fulgens super-eminet Astrum:
 Tu namque erranti Stella, M A R I A micas.
 Hîc stellarum ideò radii tua Tempa coronant.
 Araque solemnî semper odore flagrat.
 Hîc sole auricomo pulchrè vestiris & ostro.
 Sub pedibusque tuis splendida Luna jacet.
 Ergo hæc, Diva, Tibi quàm rectè Insignia quadrant
 Quàm bene sic textus convenit ille Tapes!

*Andreas Catulle, Archidiaconus
 Primarius, Canonicus & Vica-
 rius Gñalis Tornacensis &c.*

R. P. IOAN-

R. P. JOANNIS VINCARTII S. J.
EPISTOLA HEROICA

Angelus Templi B. VIRGINIS
ASPRI-COLLENSIS Custos
ac Præses.

ALEXANDRO VII.
PONT. MAX.

*Gratulatur nomine Deiparæ de transmissio, oblatoque
illic in perpetuam affectus sui ac benevolentia tesse-
ram per insigni Tapete, CHISIANIS insignibus,
quæ Montes, Quercum, Stellamque exhibent, opere
Phrygio intextis. Simul faustissima rei Christianæ
incrementa tali Pontifice auguratur, & felicitatem
vovet.*

V Idimus: accepta est Magnæ tua cura MARIÆ,
Et Phrygiâ illusus nobilis arte Tapes.
Agnovit Collesque tuos, Quercumque, Iubarque
Sideris, Æternâ munus ab Vrbe datum,
Vix templi facies instrato splenduit auro,
Atque oculos rapuit textilis ille decor:
Cum summo aspiciens cæli de vertice Virgo,
Lumine quo nebulas longiùs ire jubet:
Conveniunt nobis CHISIORUM stemmata, dixit;
Tesseraque in titulos emicat illa meos.

D 2

Et

Et mihi sunt Colles, veterem tenui hospita Quercum,
 Affulgetque meis Stella corusca tholis.
 Angele, quid cessas? castam citò sume papyrum:
 Scribe: ferat sensus scripta tabella meos
 Aggredior: vultu scribentem Diva benigno
 Adjuvat & lentam non sinit esse manum.
 Neve diu dubiam remoretur Epistola mentem,
 Aut cui mittatur nesciat istud opus:
 Quam dudum meruit, nostram Latium usque salutem
 Portet ALEXANDRO littera, Mater ait.
 Causa subest: teneris hunc fovi Mater ab annis,
 Nec nostri affectûs degener ille fuit.
 Tempora si recolo, primæque exordia vitæ:
 Parvus adhuc nostri dignus amoris erat.
 Scimus ut ille lubens, jam vates, carmina vatum
 Excepit, niveus quæ mihi panxit Amor
 Pergat, sic sacros dignatus laude Poëtas,
 Alba pudicitiaë castra fovere meæ.
 Obstitit ah! nimium nobis qui primus in orbe
 Parnassi puras fulfure tinxit aquas
 Est mihi cara Cohors, cui nomen fecit I E S U S,
 Virgineos vates instruit illa mihi.
 Hos amat & CHISIUS, seu quos modò sidera norunt,
 Seu quos in vivis noster hic orbis habet.
 Efficiam ut tanto sint Mœcenate disertis,

Et

a Inter hos iure annumerandus Sidronius Hoffschius Flandro-belga Soc. Iesu, cuius operibus Poëticis valde afficiebatur Card. Chisius: Cuiusdam Pontifici Alexandro VII. opera eius posthuma dicata fuere, à Jacobo V. Kallio, eiusdem Soc. ac Provinciae, Elegiis etiam impressis, eidemque Summo Pontifici dicatis, celebri Poëta,

Et formanda meis ora rigentur aquis.
 At propiora vocant: fidis committe tabellis
 Dicere quæ cœpi, quæque notanda loquar,
 Scimus ut ad Nostram Peregrinus Nobilis Ædem
 Venerit, hîc ubi Mons & mihi Quercus erat.
 Templum adit, aspirant leni procordia motu;
 Aggerit & casto thura cremanda foco.
 Hîc dum vota offert nostras affusus ad aras,
 Æterno Natum sacrificatque Deo.
 Æstuat intus amans, plusque uno carpitur igni:
 Pro se, pro pacis fœdere multa vovet.
 Vt vidi, ut dixi, placet hoc: Nati que meis que
 Auspiciis posthac iste juvandus erit.
 Quos secum defert tractanda negotia Pacis,
 Vt nobis, Nato sunt quoque cara meo,
 Nos dabimus quod amat, bellè huc se contulit hospes:
 Cudendi statio fœderis, ara mea est
 Incipit hîc positus miles mansuescere telis,
 Quaque prius ferrum,serta tenere manu.
 Scimus (& hoc gratum) Nati Patientis ut olim
 Funera deflevit, sic quoque gratus amans.
 Interior secessus erat, flammis que ciendis
 Commodus: hæc solus tecta laremque subit
 Sunt illic animo quæ verset plurima, sunt quæ
 Ponderet, exemplis post animanda suis.

D 3

Ahl

b Missus Apostolicus Legatus in Germaniam ad comitia generalia pacis ineunda inter Reges ac Principes Christianos, ad B. Virginem Aspri-Collensem in Brabantia venit venerabundus, ibiq; sacrosanctum missæ Sacrificium obtulit.
c Secessus Exercitiorum Colonia apud PP. Soc. Iesu, ubi orans coram Crucifixi-
 pia imagine, non pauca in futurum agenda didicit, statuitque.

Ah! quoties natum pendentem à stipite cernens,
 Hæccine, Christe, tibi bella moventur? ait:
 Pungit spina caput, tenduntur brachia, clavi
 Perfodiunt palmas perfodiuntque pedes.
 Lancea crudelis, quò te ferus impetus egit?
 Quàm lato, heu! foffum vulnere pectus hiat!
 Debueras potiùs vel totâ cuspide ferri,
 Quod prius effodit culpa, subire latus.
 Quid queror? ah! nobis fodiuntur pectora: nobis
 Quam portam fecit lancea, servat amor.
 Quando erit, ô, IESU, tibi sic ut jungar! eodem
 Et dabitur tecum funere posse mori?
 Audimurne? an adhuc fatalia stamina restant
 Tam citò per fusos non minuenda suos?
 Quò me fata vocant, certum est properare: pericla
 Inter mille licet, sanguineasque vias.
 In Cruce fors nostra est, & erit, pie Christe; laborem
 Finiit illa tuos, finiet illa meos.
^d Flebilis extat adhuc Nati hæc morientis imago,
 Et CHRISTO fufas audit ut ante preces.
 Tunc ego prævidi venturis ordine fatis,
 Supremum terris Romulidisque Caput.
 Nec res ista suis caruit successibus: orbis
 Imperium CHRISTUS, juraque summa tenet,
 Occupat Augusta Princeps Capitolia Sedis
 Pacis amans, titulis invigilatque meis.
^e Scilicet hinc nitidis fulgent mea festa coronis,
 Et purâ redeunt candidiora nive.

^d Eandem Crucifixi Imaginem, iam Pontifex Romam ad se transmitti curavit:
^e Bullam edidit pro Immaculatâ Conceptione Deiparæ Virginis, quæ per omnes
 orbis Christiani Ecclesias communi lætitiâ, piòque applausu excepta est.

Nunc prodit stellis cœloque simillima tellus,
 Et cultu formæ conveniente meæ.
 Victor amor, niveâ liquidum secat aëra pennâ;
 Atque in me CHISIUM prædicat author opus.
 Nec meritas reddam tali pro munere grates?
 Nec materna meus dona rependat Amor?
 Non erit hoc: melior vivit sub pectore sensus:
 Imperio par est mens animusque meo.
 Nostrum est auriferis quidquid Pactolus arenis,
 Gemmarum quidquid decolor Indus habet.
 Cui volo, sacratæ præcingunt tempora mitræ:
 Cui volo, condecorant aurea sceptrâ manus.
 Attamen ut variis, sparsimque hæc dona ferantur;
 Ornabunt CHISIAS plenius illa domos.
 Angele, scribe vel hoc auro, vel murice: scriptum
 Spectet ALEXANDER, gens CHISIANA legat.
 Quàm bellè ut cælum studiis concordibus ardet,
 Et nostra hîc etjam vota coronat amor!
 f Nec procul à terris Pax est Byzantia: lunæ
 Cum globus impletur & cornua nulla micant.

f Revocatur hîc in memoriam ingeniosissimum Annagramma, plenumq; felicitatis
 augurii, quod Alexandro VII. sub Pontificatus eius initia obtulit R. P. Ioan.
 Nierenbergius Hispanus Soc. Jesu, in libello supplici pro Immaculata Conceptione
 B. Virginis & pace Ecclesie obtinenda, hisce verbis.

Sanctissimus Pater & Dominus
 ALEXANDER PAPA SEPTIMVS
 QVI ERAT ANTEA
 FABIVS CHISIVS

Annagramma.
 QVARTVS E SENIS PAPA
 DEI MATRI CHARISSIMVS

Ipsi labem Adæ non fuisse statuet,
 tunc Pax.

g Cornuta Luna Turcorum insignia.

Quidni castra meis concedant Turcica signis,
 Terraque quam Nati diluit ante cruor?
 Quidquid id est, nec sic pia cura elanguet amantis:
 Suscitat assuras ad nova vota faces.
 Rursus adit Belgas, Collemque revisit Acutum,
 Et mea magnifico munere templa colit.
 Confluit ad nostras excita Brabantia sedes:
 Vicinos Batavos hæc quoque festa movent.
 Quid faciam nisi amem? certamine provocor isto:
 Vincamus: quando præmia victus habet.
 Ergo quod sancti mores, quod grata voluntas
 Candida quod virtus, quodque reposcit amor:
 Vivat ALEXANDER, longos florescat in annos;
 Vivat, & oblatum nobile duret opus.
 Quod solium sublime tenet, clementia cingat,
 Prosperitas albâ sustineatque manu.
 Pervigil æterni Custos ac Præses Oivilis,
 Areat infestos nocte dieque lupos.
 Hæresis elisos nequidquam mordeat hydros,
 Exulet & secum nigra venena ferat.
 Circùm agni, nivei circùm pascantur olores;
 Grex est munditiæ concolor ille meæ.
 Post ubi Pacificâ Sæclum signaris Olivâ,
 Hanc etjam moriens ad mea regna ferat.
 Tunc bene possessi pura inter lumina cæli
 Excipiam amplexus illius, ille meos.
 Dixerat hæc Virgo: subscripsimus, accipe veri
 Nuntium, & Angelicâ dicta relata fide.
 Cætera quid memorem? per longa cacumina montis

Fest.

Festivus visa est reddere turba sonos.
 Vox fuit, ut saxa allisa remurmurat Echo:
 Et crebrò auditum nil nisi præter, erit
 Nimirum Virgo summè dominatur, agendo
 Maxima, promisso non minor ipsa suo est.
 Quid quod & augusti tangit me gloria facti?
 Grator hâc etjam fit mihi parte labor.
 Neu dubites, munus servabo fideliter ædi:
 Ultima pars curæ non erit illa meæ.
 Vis plura? inspergam dono pia semina flammæ,
 Atque auri plusquam luce micabit opus.
 Venerit huc quoties spectator, & hauserit ignem;
 Virgo, pii (dicet) pignus amantis habes.
 Forsan & adijciet: regali ut nomine summus,
 Obsequioque tibi summus amator erat.
 Ergo vivat amans: non hunc pluviale Capellæ
 Sidus, non madidis terreat Auster aquis.
 Æstivos numeret moderato sidere menses,
 Nec videat glacies aspera bruma tuas.
 Sic CHISII Colles Marianis Collibus adstent:
 Sic vireat passis Quercus amœna comis
 Sidera sic rutilent Stellis adjuncta MARIÆ,
 Et faustum multis duret utrumque jubar.
 Quod superest nostro claudatur Epistola voto,
 Quòd cupiam toto, quâ patet, orbe legi.
 Inter ALEXANDROS ter Summe, ter Optime Præsul,
 Imperium retine promeritumque decus.
 Quod tua scuta altis prætendunt montibus astrum,
 Certa micaturi signa favoris habent.

E

Ergò

Ergò tua extremis fac gratia luceat Indis,
 Et Iaponi infestus delinat esse Iapon.
 Imperium quod Sina tenet, Cæloque, Deoque
 Ut pateat, Claves postulat ecce tuas.
 Annuis? accurrent Socii, quos alluit Ister,
 Quos Mosa, & sparsis Scaldis oberrat aquis.
 Adde quod & totis quæ gens ea diffusa terris,
 Ad nutus vivit, currit & illa tuos.
 Quid referam ut Scythico metuendus Sarmata telus,
 Perrupit muros, Sinica terra, tuos?
^b Victorem mirêre novum: dat jura subactis,
 Et prope jam Christi victus amore subest.
 Nec tantùm longè positos fulgoribus affla:
 Sunt hîc & Batavi, quos tuus urat Amor.
 Proxima me tangunt: te tangunt omnia: totus
 Orbis in amplexus & tua jura venit,
 Sit plusquam ipsa suo divisa Britannia Ponto,
 Tranare oppositæ fax tua novit aquas.
 Sic Cimber, sic Moschus, Arabs sic supplice ritu
 Gaudeat ad sacros oscula ferre Pedes.
 Tunc bene pacatis pacato Numine terris
 Diceris toto Maximus orbe Pater!
 Finiturus eram: sed restant ultima, dicam:
 Ne tuus ex uila parte prematur honor.
 Quæ bene cœpisti. constans age prælia: utrimque
 Gloria certantes, Laurus utrimque manet.
 Pro Diva pugnas, pro Te Diva: illius auge

Dum

h Tartari qui olim Sarmatæ, iam Sinensis Regni maximâ parte potiuntur: qui victores ita se P. Societatis isto in regno fidem Christi prædicantibus benignos exhibent, ut præeunte ipso Rege primis fidei elementis instrui non abnuant.

Dùm fortis tiulos, auget & illa tuos.
 Interea officiis quoniàm convenimus ambo,
 Atque præesse idem Montibus urget Amor.
 Alter ad alterius curas accedat amicas,
 Mitescent sociâ munia nostra fide.
 Quique mihi Mons est, quàmvis & acutus & asper,
 Posthâc te assumpto Præsîde lenis erit
 Accurrent populi gens Belgica: Tempa subibunt
 Exemplo & dono nobilitata tuo.
 Utque reor, dicent: pulchrum Divâ auspice Collem
 Fecit ALEXANDER, fecit & iste Tapès.
 Quin etjam auguriis si res ventura probetur:
 Cum stabunt vacuâ flamina rapta colo.
 Hic Belgæ memores facti, memoresque MARIÆ,
 Iusta tibi dicent, inferiasque dabunt.
 Spectandoque licet Romæ condare Sepulchro,
 Et CHISIA incisus prædicet acta lapis.
 Inscribent Donoque tuo, pulchroque Tapeti,
 Ceu tumulo, versus forsitan hosce duo:

VIXIT ALEXANDER TEMPLI HUIUS CULTOR: AMANTIS

DONA TAPÈS: FUNCTO SIDERA VIRGO DEDIT.

E 2

EPIG-

*i Alexander VII. in prognosticis Romanorum Pontificum à S. Malachia Hi-
 bernie Primate, qui obiit anno 1148, hoc lemmate insignitur: Custos Montium:
 quippe qui Gentilitio Christianorum scuto, ut supra notatum est, Montes exhibet,
 supernè affulgente Stellâ tanquàm oculo vigili ad custodiam.*

EPIGRAMMAT A.

De eodem perinsigni Aulæo ac Tapete, in quo præter Pontificiam Tiaram Clavibus Ecclesiæ innitentem, aliâque Emblemata, Nomen Donatoris acu pictum in auro litteris majoribus ac Romanis sic apparet:

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
ANNO SEPTIMO.

MVnera Virgineas CHISIUS quæ fixit ad aras,
Aureus exornat, coccineusque color.
Argento claves, auri micat igne tiarâ
Et glans & Quercus signa decoris habent.
Quid quod ALEXANDER picto supereminet auro?
Phœbæi radios sideris esse putes.
Desine mirari: in reliquis ars emicat: artem
Ipsam in ALEXANDRI nomine vicit Amor.

ALIVD

De eodem Munere.

Aspicis ut fulvo peristroma renidet in auro?
Munus ALEXANDRI est, Pontificisque decus.
Hic certant pietas, natura & opus: sed utrumque
O, quantum superat iudice me pietas!
Dignas pulchrum opus hoc aras ut fecerit: aris
Dignum Pontificem pulchrior illa facit.

DE

DE EIVSDEM MVNERIS OBLATIONE
 FACTA
 PER ILLVSTRISSIMVM
 D. HIERONYMV M DE VECCHIIS
S. Mariæ Montis Regalis Abbatem, &c.
 APOSTOLICVM IN BELGIO
 INTERNVNTIVM

Portitor Illustri Dono bene convenit: altos
 Nempe Aquilæ montes & juga Cervus amant.
 Nulla mora est, fiet quod mandas, Optime Pastor:

Currit hic obsequio promptus, & illa volat.

ALIVD.

De Montibus Scuti CHISIANI, & Stella

super eos affulgente.

Antiquos montes, aggestum Pelion Ossæ,
 Atque gigantæum jure tacetur opus.
 Per juga, perque altos colles malè fidera prensant:
 Obruit insanos præcipitatque labor.
 Montibus his via tuta patet: neu devius erres,
 Ostendit faciles stella benigna vias.
 Sic petitur cœlum: nulla est fallacia: callem
 Sternit ALEXANDER munere, Virgo probat

E 3

super.

Super Illud

ANNO SEPTIMO.

Ad B. Virginem Aspri-Collensem

Septima lux orbi pacem intulit : inde feruntur
 Prædem Iudæo sabbata culta viro.
 Pacem affer, Virgo; maculæ certamina cessant :
 Sic bene ALEXANDRI septimus annus erit.

De Quercu CHISIANA & Aspri-Collensi

in qua Beata Virginis Imago

thaumaturga reperta est.

Restituant veteres quamquam modò sæcula quercus
 Quas fert Romanus, quasque Brabantus ager,
 Ne metue : haud istâ durefcent tempora sylvâ,
 Nec veniet rigidus, qui fuit ante, labor.
 De CHISIA Quercu modò glans fit mellea: Quercu
 Deque sua Virgo mellea dona facit.

ADGRA

AMPLISS. ET PRÆNOBILEM VIRVM,
 D. GVILIELMVM DE BLITTERSWYCK
 Libellorum Domus Regiæ Magistrum,
 AC SVPREMI CONCILII MECHLINIENSIS
 SENATOREM,

*Denuò Postulantem ut Poëma in Tapetem ALEXANDRI
 SEPTIMI ab Auctore sibi missum,
 in lucem edi. possit*

A Udieram nuper Sichimos, te teste triumphos :
 Audieram plausus, carmina, festa, cohortos ;
 Dum sua Supremus, cum donis vota Sacerdos
 In Phrygio iussit picta Tapete legi.
 Gratabar divæ, Chifus, carisque, mihi que,
 Namque ego parte mei, pars ibi magna fui.
 Quid facerem? tenui ludebam obscurus avenâ :
 Musaque non æquo, adreperere visa, pede est.
 In vultu macies, frons hispida, lurida pellis :
 Lucis egent oculi, dentibus ora carent.
 Vena filet: nullæ resident sub pectore flammæ,
 Et nisi suspiret, spiritus omnis abest.
 Nil superest Musæ, nisi vox, gracilisque tremensque,
 Verbaque, nescio quò, dimidiata, sono.
 Dicebam: procul hinc: nihil est quod carmina sperem
 Nil tibi Castalii, quod placet, oris inest.
 Sunt alii meliore sinu quos fovit Apollo ;
 Illi Pontificum sacra trophæa canant,

Sunt

Sunt BLITTERWICI, VENNI, BURI atque CATULLI

AGRETTI, summis nomina culta Viris.

Sunt, inquit; sed & hos inter lateamque canamque,

Sic proceres inter vernula clamet io.

Plebs bona Pompeium, curru dum spectat ovantem,

Credibile est verbis concelebrasse suis.

Scilicet ut clarus, depromat vota senatus:

Materiam votis & rude vulgus habet.

Fors erit incurvo qui membra trementia fulcro

Sustinet, ut Patriæ clamet adesse Patrem.

Et dicat: faustos, sic faustior impleat, annos:

Vt nostris referat lenta senecta pares.

Fulciat ille suos, velut hoc ego stipite nitor.

O quam grata senis verba precantis eunt!

Sic ego sim quamvis subrustica, balba, senexque

Forsthan hæc aliquid fama notabit anus.

Sic plausit Siculo longæva edentula a Regi;

Grataque simplicitas, officiumque fuit.

Non ego me statuam magnis similemve paremve:

Hoc decet audaces; me pudor usque tegit,

Non tamen à solo labuntur flumina Nilo:

Parvaque, quæ donet munera, b Cyrus habet.

Non omnes vasto, tendunt sua carbasa, Ponto:

Fertur & angustis, cymba recurva, vadis.

Sunt magnæ puppes erithræa per æquora tutæ,

Ignotum, linter quæ malè carpat, iter.

Quisque prius vires, dein libret viribus ausus:

F

Ne

a Dionysio. b Fluvius, è quo rusticus Artaxexi, ambabus manibus aquam, gratissimum Regi munus obtulit.

Ne malè quod subiit, ferre laboret onus.
 Ipsa meos humeros, humeris sua pondera pendo.
 Omnia non omnes; hæc puer, illa gygas.
 Est aliis præstans, generoso in pectore, robur.
 Sunt ignes sacro, qui caluere Deo.
 Membra vigent, venæque micant, succusque colorque,
 Verbaque Apollineo, quæ decet ore loqui.
 Gratia luminibus, natiq̄ue ad amæna lepores.
 Sunt joca, suntque sales, mel, nec acumen abest.
 Hæc & plura insunt (quis nesciat?) ipsa canendo
 Quæ nunquam, ad plenum, dinumerare queam,
 Cedo lubens cunctis speratam. ex carmine, palmam.
 Nec rude donari nostra Thalja petit.
 Quod satis est lateam, bene si latui, bene scripsi.
 Hæc voveo, hæc nuper verba voventis erant.
 Nec latuisse licet per Te, qui promis in auras
 Et cogis meritâ ex nocte videre diem.
 Dum petis ut spectent imbellia lumina solem:
 Obsequio peccas. Lux nimis ampla nocet.
 Iudice te poseunt si quam mea carmina lucem:
 Lemniaci flammæ, quas meruere, ferant.

IN

IN PERISTROMA
ALEXANDRI PP. VII.
D. VIRGINI
ASPRI-COLLENSI
CONSECRATUM.

- O** CHISII Montes, an me mea lumina fallunt?
An vos (quis credat?) belgica terra tenet?
- 2** Vidit & obstupuit justo Bruxella pavore,
Pendula sacrato, pignora sacra, tholo.
- 3** Septeni, nixa est quibus inclyta Regia, montes
Flexerunt vestris cernua colla jugis.
- 4** Septenos pariter septeno gurgite fontes
Altius assueto profiliisse ferunt.
- 5** Septenæ circum, turrata palatia, portæ
Et valvæ vobis, & patuere domus
Templaque cum tectis prono nutantia vultu,
Lætitiæ passim signa dedere novæ.
- 6** Splendida CREUSENI Sacraria, conspectando,
Lumina, nescio quæ splendidiora dabant.
- Ipse loci præses blando XAVERIUS ore,
Romano Patri dicere visus, *ave*, est.

F 2

Atque

1 Chisiorum Insignia sex Montes. **2** Festo S. P. Ignatii, Bruxella in summo Altari, antequam Tapes deferretur Aspri-Collem, expositus. **3** Bruxella complectitur septem Montes vide Bruxellam Septenariam E. Purciani. **4** Septem habet Fontes publicos. **5** Septem urbis portas: septem antiquissimas Paracias, septem Lacus, septem Fora, &c. **6** Sacrarium verè Regium ab illust. D. Andrea Creusenio, Mechliniensium Archi-Episcopo, post calculi sectionem aetate septuagenaria majore, S. Francisco Xaverio extractum.

Atque iterum optaret (si fas) abiturus ad Indos
Præfulis ad Summi procubuisse pedes.

Quod licuit , gratos ad montes lumina vertit:
Vertit & ad Collem lumina Virgo tuum.

7 Et tum, Romanâ quæ surgit imagine turris,
Loyolæ, primos edidit ære sonos.

8 Omnia plauferunt, valles, montesque, nemusque,
Fluminaque & fontes, mœnia. templa, forâ.

Festa dies aderat, quâ cœlo Diva recepta est,
Hâc subit è Grudia, VECCHIUS urbe viam.

9 VECCHIUS à Primo cui Præfule credita res est:
Iussus & ad sanctam Nuncius ire Domum.

Aptior, haud alius, neque munere dignior isto
Virginis ad *Montem* qui sacra dona ferat.

10 Nam tibi Virgo facer *Mons* est *Regalis*, ab illo
Numquid Latori gratia major erat ?

11 O si spectasses, ut tunc Parcensis ad aram
Cor simul & donum, pignus utrumque tulit.

Spectasses lacrymas (lacrymæ decuere litantem)
Nec poterat quisquam continuisse suas.

Tantus honor sancti, tanta est reverentia, Fani:
Forſitan à FABIO tunc quoque major erat.

12 Et memor est Virgo, quò nunc sua munera mittit
Hoc olim FABIIUM sacrificasse loco.

Et

7 Nova turris Templi Patrum Societatis Iesu, insigni Nobilitatis ac Civium munificentiâ exadificata. 8 Hoc die nova Campana primùm pulsata. 9 Illustris. ac Reverend. Hieronymus de Vecchiis in Belgio ac Burgundia Sedis. Apostolicae pro Nuntio Legatus. 10. Is D. Virginis in Monte Regali Abbas. 11. Amplis. ac Rev. Adm. Abbas Parcensis Libertus de Pape ad aram fecit. 12. In Templo Aspri-Collensi Fabius olim Chitius, modò Alexander VII. in minoribus constitutus (ut Bulla dedicati peristromatis indicat) incrementum. Sacrificium obtulit.

Et memor est Virgo, & gratum testatur amorem:
 Quis scit an haud faciat Trina Corona fidem?

Illius auspiciis quidquid terrâque poloque
 Nititur, hoc faustum non nisi numen habet.

Virginis ille favor crevit crescentibus annis;
 Crescet adhuc, nec quo sistere possit, habet.

Mystra præest sacris. respondent organa chordis.
 Discordi, concors Mulica, voce quadrat.

Non suus aurato, qui ferrea pectora filo,
 Duceret Alcides, nec pia suada deest.

13 VENNIUS eloquio præstans simul ora resolvit:
 Ore ex Parthenio verba tulisse putes.

Flumina quæ mellis, quæ flumina nectaris ibant!
 Quam dulci, aptabat fortia dicta modo!

Commonstrans Sacri quæ sint fundamenta Montis,
 Cui gaudent CHISII supposituisse suos.

Tam placuit Custos, tam Mons: ut quilibet illo
 Cum Petro optarit figere posse domum.

14 Tuque CATULLE sacros inter celeberrime vates,
 Pangebans tacitis carmina dia modis.

Iam Doni titulos, jam Divæ nomina mille,
 Ignotum quidquam ne paterere, dabas

15 Tu BLITTERSWICI magni pars magna triumphii,
 Quas Divæ laudes, quæ pia vota dabas!

F 3

Dicebas

13. *Ampl. ac R. Adm. D. Franciscus vanden Venne, insignis Metropolitanæ Mechliniensis Ecclesiæ S. Romoldi Præpositus & Canon, præclaram Orationem habuit, sumpto themate: Fundamenta ejus in montibus sanctis.* 14. *Ampl. ac Rev. D. Andreas Cattullus Tornacensis Ecclesiæ Archidiaconus Primarius Canonicus ac Vicarius generalis.* 15. *Prænobilis ac Ampl. Vir Guilielmus de Blitterswyck ex antiquissimis septem Bruxella famulus oriundus, magni Mechliniensis Consilii Senator, summo Pontifici notus & charus.*

Dicebas quoties: in munere muneris Author
 Vivat, quaque licet, vita perennis eat!
 16 Quemque geris digito, velut Annulus, impleat orbem:
 Longævi modò sint: post sine fine dies.
 Forsitan & velles (bene si tua pectora novi)
 Crescere, quo possint, annumerare tuos,
 Et cupis esse ratum; nisi si mitissima Mater
 De Quercu dicat: vivat uterque diu.
 Attamen ô CHISII (si fas inquirere) quid vos
 Tam longè positos his jubet esse locis?
 17 Nonne Palatinus, toto notissimus orbe,
 Vos inter magnum delituisse putat?
 18 Cælius 19 Esquilio socios gratatur & effert
 Est qui hinc submittat 20 Vimen, & inde 21 Caput,
 Tuque 22 Quirinali præsignis nomine, 23 tuque
 Qui primus dederas nomina casta Remo.
 Confertim CHISIIS socialia dona tulistis,
 Iunxistis meritis debita ferta suis.
 Septem, septenâ cecinistis arundine carmen:
 Movit & ad numeros rustica turba pedes.
 Ipse pater Faunus, Driades, facilesque Napææ
 Montibus in vestris constituere casas.

24 Quin

16 Annulus hic est aureus mortis Imagine pro gemma insignis, Philobesum Pontificis munus à R. P. Francisco vander Veken eidem Ampl. Domino nuper Româ missus, allatusq; per amicissimas Adm. Rev. Domini Præpositi Mæchliniensis manus, cui Annulo sua Sanctitas indulgentiam impertit in articulo mortis plenariam. 17 Septem Montes Urbis Romæ, Palatinus. 18 Cælius. 19 Esquilinus. 20 Viminalis. 21 Capitolinus. 22 Quirinalis. 23 Aventinus in quo Remus augurium primus cepit incundi Romani Imperii è spectatis sex vulturibus: in Palatino verò Romulus è duplicato avium licet serius viso numero, ab omnibus Rex Salutatatus est. vide Liv: Flor. &c.

- 24 Quin etjam fama est: musas Helicone relicto
 Cum Phæbo innocuos hic agitasse choros.
 Et genii, & Charites, & si quid blandius usquam,
 Non alio optarunt gratius esse loco.
- 25 Ad vos (quid mirum?) patrios concurrere montes,
 Cumque suis lætum frondibus ire nemus?
 Omnibus in pretio & voto simul omnia latè
 Æquastis; meritis est quoque terra minor.
 Delicium Italiæ, speciosæ gloria Romæ,
 Spes Patriæ, Patrum lumen & orbis honos.
 O quantùm celebrem septenis montibus urbem
 Auxistis! num quo crescere possit, habet?
 Omnia complectis: CHISIIS nil altius. instent
 Pelion Ossa licet, Pindus & Æthna polo.
- 26 At modò quid Sichimi Collis vos spectat Acutus?
 An Româ hîc quidquam grandius esse rear?
 Parcite Romani, Septeni parcite colles:
 Et CHISIIS aliquid Belga, quod addat, habet:
- 27 Mons numero deerat, qui tangere sidera posset,
 Virgo meus, dixit, Collis hic Asper erit.
 Mons numero deerat. Mons Virginis additus, Inde
 Virgineum, Custos Sidus ab axe micat.
- 28 Aspice ut ipsa Domum fulgentia sidera cingunt:
 Quis neget hoc felix omen inesse loco.

Omen:

24 Edita olim sunt sub nomine Philomati Musæ Iuveniles Fabii Chisii exquisitissima Poëmata, meritò peritis omnibus Parnassi Cultoribus summo habenda in pretio. 25. è quibus tessera Chisiorum Gentilitiæ composita. An non ut olim Amphion & Orpheus? 26 Aspri-Collis oppidum Brabantiaë iuxta Siehimum vide Lips. in D. Virg. Aspri Coll. 27 Sex Montibus Chisiorum deerat septimus Mariæ. 28 Tectum Aspri-Collensis. Templi fulgentissimis Stellis, è longinquo conspicuis, illustre.

Omen stella refert, neque mons est ominis expers:
 Omnibus ille patens, omnibus illa favens.
 29 Atque etiam CHISII cur ponant discite, frondes
 Olim gestabant, quod juga sena, decus.
 Gestari frondes, gestari è fronde corollas
 Christi-parens Quercum quæ colit illa vetat.
 Nulli magnorum fas ferre insignia Regum.
 Et quâ Virgo manes arbore, sacra manet.
 Sic te Virgo colunt CHISII. Tu montibus adde
 Montem, surripient se sibi, ut ipsa geras.
 30 Sic te *Virgo* Tapes radiantibus intertextus
 Chrysolitis, auro, murice, fronde notat.
 Tergeminos referunt pretiosa petasmata montes:
 Hos Sidus: Robur servat utrumque latus.
 31 Altior est cunctis *Virgo*, quam quercus adornat
 Colle super, CHISII septimus inde venit.
 30 Omen ALEXANDER cape *septime*. Septimus hîc est
 Additus à Diva montibus, omen inest.
 Ut decus illa tuum: sic tu decus illius auge.
 Certet amor factis. Tu cole, & illa teget.
 Querneâ nos doceat, nûnquam ut sine frondibus arbor
 Primævum hanc nûnquam destituisse decus.
 Obscurent montes umbræ: *Mons Virgo* sine umbra est,
 Quæ

29 In insignibus Pontificiis D. Virgini missis desunt montibus arbuscule, in quibus antea spectabantur; sed hæc modò totius Peristromatis claudunt latera.
 30 Eiusmodi Tapes est ab opere & materiâ mirifice commendandus.
 31 Imago D. Virginis Aspri-Collensis anno 1520. circiter, in Quercu reperta.
 30 Alexander Summus Pontifex eius nominis Septimus qui mortuo Innocentio Decimo, septimâ Ianuarij 1655. successit septimâ Aprilis eiusdem anni: cum numeraret annos quinquaginta septem, primumque Pontificatus Septenniam ingressus septimâ Aprilis anni 1662.

Quæ sola æthereo lumine, lumen habet.

31 Septime sis Montis Custos, erit Illa Patroni:

Quæque dedit Collem, post simul Astra dabit.

31 Custos Montium vaticinium Malachie Archiepiscopi de successore D. Petri
convenit familia Chisiorum quorum insignia sex Montes protegente Stella: cui
& vaticinium anagrammaticum conspiciat:

MONSET LVX MARIÆ TVTO
CVSTODIENDA.

Anagramma.

AT IDEO TV MONTIVM CVSTOS
ALEXANDER.

Pangebatur

GUILIELMUS VANDEN EEDE S. J.

EXEMP-

PRÆNOBILEM ET AMPLISSIMVM
D. GVILIELMVM DE BLITTERSWYCK

Conc: Sup: Mechlin: Senatorem &c.

MONS MARIA

AMPLISSIME ET AMICISSIME VIR



Ecce occurrit inter sacros vates Isaias, c. 2. v. 2. qui digito veluti in hunc Tapetem intento & montes, & montem reliquis superimpositum velut insignem Excellentissimæ Virginis Imaginem commonstrat: hunc in modum pronuntians: Et erit in novissimis diebus Præparatus Mons Domus Domini in vertice Montium. Num clarius aut dilucidius quidquam efferre poterat? ne quidem si vel studio fuisset adhibitus, qui suum Peristromati titulum aut inscriptionem præfigeret. Vati accinit summus Ecclesiæ præsul Gregorius divino, ut solet, afflatus spiritu. In lib. 1. Reg. c. 1. Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim. Potest hujus Montis nomine Beatissima semper Virgo Maria, Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non Mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis crexit? Hujus enim Montis præcellentissimam dignitatem

tatem

tatem Isaias vaticinans ait: erit in novissimis diebus &c. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ supra omnes Sanctos refultat. *An non igitur hæc tantorum Virorum verba sufficientem facem nobis præferent? demus igitur Sacrum Vatem sex Montes Pontificios superimposito septimo Aspri-Collensi, unâ cum Virgine sacratissima contemplantem, ad sese ipsam hunc in modum explicantem:*

**En sic adest Maria præparatus Mons
Domus Domini in Vertice Mon-
tium.**

An non obstupescemus, non sine arcano prorsus & prodigioso mysterio, iisdem ex elementis educi ipsissimum Malachiæ vaticinium unâ cum evidenti ejusdem explanatione?

A N A G R A M M A.

**Montium Custos, asservans Mon-
tem Domini in pura mediatrice
Deipara.**

utrobique enim reperiantur,

A. C. D. E. I. M. N. O. P. R. S. T. V.

6. 2. 3. 5. 7. 6. 5. 4. 2. 4. 5. 4. 4.

qui numerus in unum collectus efficit Septenarium ejus anni quem Sua Sanctitas agebat dum eligereur in Supremum Montium Custodem nempe 57.^{um}

AD ASPERVUM COLLEM
 SEV MONTEM MACVTVM
 Cui nomine SS. Domini nostri
ALEXANDRI SEPTIMI

Pretiosissimum tradebat Tapetem
HIERONYMVS DE VECCHIIS,
 ABBAS MONTIS REGALIS,
 Ejusdem apud Belgas
 INTERNVNCIVS

Ipsa Assumptæ in Cælis Virginis Festo die. 1662.

ACCLAMATIO

IACOBI LIBENI, è Societate IESU.

ILLUSTRE Belgis Asperi-Collis jugum,
 Cui magna Montes Roma submittit suos,
 Suumque Quercus Itala submittit caput,
 Rutilasque *Custos Montium* inclinat comas
 Senense Sidus: exili, & Olympum supra
 Infer sereno verticem lætum polo:
 Tua festa canimus. Plaudite, & olivam manu
 Præferte Fauni, & fratribus junctæ melos
 Aptate Dryades, qualque nunc tempus petit,
 Miscete choreas: Ille supremum Imperi
 Nuper labantis columen, & pacis dator
 Tunc ille FABIVS, nunc ALEXANDER sacri
 Princeps senatûs, proximum Divis caput,
 Hæc tanta Monti gaudia & silvis facit.

Speçtatis

Spectatis? ingentem arduis en quot viri
 Auro rigentem, dædalâ pictum manu,
 Humeris Tapetem vertere ad Sacræ Domus
 Limen laborant: hunc ALEXANDER tuis
 O Diva; quæ non Aspera in Monte Aspero
 Residere gaudes, addi amat donariis,
 In pacis arrham, cujus is partes agens
 Cum Martis omnem attereret Europam furor,
 Hoc Monte supplex, pedibus affusus tuis,
 Tibi vota mille, mille concepit preces,
 Tuumque ad aras obtulit Natum Patri
 Pacem precatus. Ille nunc testem tui
 In se favoris, nec minus testem suæ
 Pietatis in te, pacis æternæ obsidem,
 Mittit tuo Tapeta sacrandum jugo.
 Aurora roseum læta reparabat diem,
 Quo mortis olim de triumphatæ indices
 Virgo resumens carnis exuvias, super
 Cœrulea cœli spatia stellato intulit
 Victrix Olympo, & major aligerum choris
 Apposita Nato Mater. Hic est, hic Dies
 Quem parva Sicheu, quemque BERCHMANNI solum
 Natale, & omnis Belgica æterno colet
 Clarum triumpho. Luce vix ortâ, simul
 Non martiali, sed triumphali sono,
 Ortus tubarum clangor. extemplo, velut
 Signo dato, progressa vis mortalium
 Innumera tectis (pars sub æthereo jove
 Posuerat artus, non potens tectis capi)

Dießbe-
minum

Vifura pompam. tremuit immanem ferens
 Mons ipse turbam, & mole se firmams suâ
 Tanto onere gaudet. Prima pars pompæ fuit
 Regalis Abbas Montium gerens vices
 Etjam ipse Mons, non humilis, aliquando capax
 Æquare Summos, ore & incessu gravis.
 Arrigitur omnis turba conspectu viri,
 Humerisq̃ue densum vulgus adnifu improbo
 Adstare propius certat & vultu frui.
 Vbi cuncta conticuêre, veneratus Domum,
 Magisq̃ue Divam VECCHIUS: non me tuo
 Nunc Diva sistit Monte, quæ & sistit tamen
 Privata Pietas; fungar illius vices,
 Cui claustra cœli æterna commisit tuus
 Moderanda Natus. Ille non tuis quidem
 Æquale meritis, attamen dignum suâ
 Pietate munus per meas affert manus
 Tapeta magnum, pacis in signum datæ,
 Domitiq̃ue Martis: pedibus hunc, Mater, tuis,
 In me Ille supplex sternit, atque orat sacris
 Tua plurima inter dona suspendi tholis,
 Hæc fatus, addit litteras formæ *Brevis*
 Quas Belga, & omnis orbe ab extremo Advena,
 Dum stabit Asper Belgico Collis solo,
 Exosculandas ambitu magno peter.
 Insequitur ingens cornua & lituos super
 Clamor virorum; qualis Erymanthi jugis,
 Placata domitâ nemora dum exultant ferâ,
 Magnumq̃ue gratus Arcas Alciden canit.

Sublime

Sublime Acuti Montis in dorso caput
 Attollit Ædes, Principum augustus labor
 Patriæ Parentum, Belga quos sterili loco
 Fatis iniquis conjuges nescit fatis
 De flere raptos, ferus & flebit nepos:
 Austriacus ambo sanguis & divûm genus,
 Stellata radiant tecta, ceu cœlo emula,
 Circùmque fuis duplicant terris diem.
 Hâc Æde se mortalibus Matrem piam
 MARIA amat monstrare, & innumeris opem
 Afferre miseris: pauca quæ ex tot millibus
 Miracula non dubitata Belgarum Cato *I. Lipsius*
 Volvenda sæclis, auspice Alberto dedit.
 Hâc Æde ALEXANDER, ut primum tholo
 Suspensus alto cœpit agnosci Tapes,
 Turbam stupentem tenuit in eodem gradu,
 Nunquam fatis spectatus, ubi semper novi.
 Spectatur aliquid. Parte Supremâ facer
 Splendet Tiaras Clavibus fultus Sacris;
 Auro una fulget Clavium, argento altera.
 Geminum coruscat Crucibus & radiis latus.
 Tapete medio, CHISIÆ gentis decus
 Ad astra Seni verticem Montes agunt,
 Impositus alter alteri: at nullum polo
 Bellum minantur; quin & his pacem ferens
 Impendet Astrum, & fata quæ signat bona
 Implebit aliquis post ALEXANDRUM Nepos.
 Vtrimque lætis sacra Chaonio Iovi
 Surgit lacertis Arbor, & grato ambitu

Com-

Complexa Montes CHISIÆ haud unam parat
 Stirpi Coronam, Principis nomen sacri,
 Obliviosus ne quis involvat dies,
 Annumque Sedis, imus ostentat Tapes.
 Hæc tanta populus dona inexpletis stupens
 Dum spectat oculis, ipsa spectandi sitis
 Spectando crescit. Mixtus interea novo
 Clamore plausus sidera iteratus ferit
 Similis triumpho: vive delitium tuis
 Amorque Belgis, aureæ pacis Pater,
 Munificus, ingens, semper Augustus, pius,
 Et quæ tuarum prima (rumpatur licet
 Invidia) laudum, Originis labem procul
 Nostrâ propulsans Virgine, an dicam tuâ?
 Est pulsa certè, oraculo Princeps tuo
 Est pulsa labes: tuque ALEXANDRI vicem
 Perfuncte VECCHI, cresce quas in spes alit
 Te Roma, quasque Belgica impleri voyet.

ODE

Complexa Montes CHISIÆ haud unam parat
 Stirpi Coronam, Principis nomen sacri,
 Obliviosus ne quis involvat dies,
 Annumque Sedis, imus ostentat Tapes.
 Hæc tanta populus dona inexpletis stupens
 Dum spectat oculis, ipsa spectandi sitis
 Spectando crescit. Mixtus interea novo
 Clamore plausus sidera iteratus ferit
 Similis triumpho: vive delitium tuis
 Amorque Belgis, aureæ pacis Pater,
 Munificus, ingens, semper Augustus, pius,
 Et quæ tuarum prima (rumpatur licet
 Invidia) laudum, Originis labem procul

*Nostrâ propulsâ Oblatione carminum in Senonij tapetis
 ordo rei gestæ, sive Oblatione carminum in Senonij tapetis
 Carmen Sapphicum Buri ^{Canonici} primo lectum
 2do Horatianum Admiri Candidi ord. s. Crucis Canonici
 conventus s. Agathe in districtu Chychedisi.
 3tio Andree Catulle.
 4to Gulielmi Beluvs Wyck Consularij Regij.
 Hæc sunt Leda et oblata ipsa die recuperata Carlo Virginis
 anno 1662.
 Alia sunt postliminio aduentitia*

O D E

IN PRETIOSISSIMUM TAPETEM

A PONTIFICE MAXIMO

ALEXANDRO SEPTIMO

Thaumaturgæ Virgini in Aspero-Colle dono datum,
ac ipso Assumptæ glorioso die per manus Illustrissimi
& R. mi Domini D. HIERONYMI Abbatis S. MARIÆ
Montis Regalis oblatum.

THEMA.

*Erit in novissimis diebus preparatus Mons Domus
Domini in Vertice Montium & elevabitur super
Colles & fluent ad eum omnes gentes. Isaïæ 2.*

TEntent Gigantes agmine montium
Ad celsa summi regna Iovis viam,
Vastisque certatim labores
Mole pares humeris reclinent:
Nunquam Vetustas priscaque sæcula
Ivisse montes montibus obvios,
Collisque spectarint Gigantum
Impositos humerisque Colles.
At nostra primis æmula sæculis
Videbit ætas jam sine fabula,
Stupebit Auratosque Montes
Romulidum properare muris.

H

Sacrata

Sacrata cœlo (credimus) indice
 Ter Thaumaturgæ Regia Maxima
 Stat lecta sedes, nomen ipsa
 Collis Acutus habet vel Asper.
 Hic æviternis septa Phalangibus
 Et mille claris fulget adoreis
 Regina Mirorum Patratrix
 Sola soli columen labantis.
 Huc ergò toto Christiadam greges
 Ab Orbe densis Agminibus ruant,
 Ter Maximi dono Parentis
 Elicitæ glomerentur Vrbes:
 Ab vrbe septem montibus inclyta
 En orbis Athlas destinat aureos,
Senosque Montes, signa notæ
 Astra super generosa Stirpis.
 Sublime texto munificum decus
 Denfatur auro Clavibus Aureis:
 Submittit Aulæum Mitratum
 Parthenio sua jura sceptro.
 Impone Senis Montibus Asperum
 O! summe Præful, Septime Septimu m:
 An Septi-Collem forte dici
 Asperitas tituli meretur?
 Qui ditiori cingis adoreâ,
 Bissena senis ferta jugis beas,
 Cœlo coronatam *Tonantis*
 Perge solo decorare *Matrem*.

En

En CHRISTIANI gloria sanguinis
 Ut surgit ulnis prona tot obviis,
 Incurvat ut ramos supino
 Nempe Vicaria Quercus auro.
 Expende Doni mystica Symbola :
 Est *Thaumaturgæ* quercea Virginis
 Quæ prostat Icon. dico Natum,
 Et mala nostra tulisse Quercum *
 Icon Beatæ pendula Quercui ,
 Aut sculpta ligno credito Querceo ,
 Senos ab ambiente Colles,
 Quàm Phrygiâ decoratur arte!
 Conchyliato quàm benè fulgurat
 Mons præparatus vertice Montium,
 Domus Tonantis dùm recumbit
 Nixa jugis radiosa senis.
 Vix credis Orpheu absque tuâ lyrâ
 Fixisse Quercum basia Belgicæ
 Ab Vrbe missam, quam rotundo
 Belga videt radiare tecto,
 Quâ mente senis ac genialibus
 Vnum maritas septime Montibus
 Heros ALEXANDER supreme
 Christicolæ moderator orbis.
 Augustiorum maxime Præfulum
 Septennis orbi volvitur orbita
 Divum Coronati Sigillo
 Verticis orbis & Urbis almæ.

*Lips de
 Cruce lib
 3. c. 13.

Senensis ortu senaque Culmina.
 Agnata celso gloria Stemmati,
 Amant coronari Receptæ
 Virginis ad Superos triumpho.
 An gloriosis Montibus incubans
 Sidus sereno lumine pervigil
 Hac luce perstrinxit coruscans.
 Parthenii radius nitoris?
 Periculosum Clavigeræ Ratis
 Clavum tenenti puppis in arduo
 Alluxit agnatæ vel astris.
 Lucidior Cynosura Stellæ
 O! quanta tantæ Munificentia,
 Effulget Heros pars *Hieronimus*
 Regalis Abbas Montis Almæ
 Virginis, ô tibi quam faventis!
 Regalis offert Regia munera
 Abbas, supremæ Nuncius Infulæ,
 Nunc dextra dantis: de Pape Abbas.
 Thuricremis nivet altus aris.
 Ecclesiastes eloquii potens
 VENNUS perorat, Pieridum Patres
 CATULLUS applaudunt, Burusque:
 Concilii Columnen supremi
 Gestitque BLITTERSWYCKIUS: advolat
 Comes GOMICOUR, Nerviadum decus:
 VERVERUS adstat: & venusto
 Nobilitas comitata coetu.

Huc

Huc huc fideles undique confluant
 (Quis ambigendum censeat?) Asperi
 Miracla Collis jam sigillo

Pontificis validata constant.

Quid hæc amoris Tessera Maximi

E gratiarum proluciet sinu?

Datis ALEXANDER fatêre

Muneribus fore Te minorem,

Molem laborum temperat asperam

Senis coronam Montibus inseret:

Ditabit Auro Charitatis

Sidereos vehet inter axes.

VOTIVUM.

O! una tantum, Staurophorum beet

Scintilla tanti luminis Ordinem!

Et Tecta lustret Agathana

Quæ premit hæreseon Tyrannis.

CHRONICON

rapes ALEXANDRI MARIE SACER.

ALIUD

SACRO BEARIS MVNERE & VLÆI DATOR.

Cecinit

RAYNERIUS CANDIDUS

Ord: Sanctæ ✠ Prior Mosacanus:

H. 3.

IN PRE-

IN PRETIOSVM AVLÆVM,
 QVOD
 SANCTISSIMVS DOMINVS NOSTER
ALEXANDER SEPTIMVS
 PONTIFEX MAXIMVS
 DONO MISIT
DIVÆ VIRGINI
 ASPRICOLLENSI,

Gentilitiis suis Insignibus interstinctum.

EPIGRAMMA SEPTENARIVM

EXpressa in Phrygio CHISIORUM Tessera panno:
 Quàm proprium Munus, conveniensq; loco est!
 Sive etenim spectas Gentili in stemmate Montes:
 Montis in abrupto culmine Diva sedet,
 Seu Stellam observas, Montis juga summa notantem;
 Parthenio cernes Astra micare tholo.
 Seu Quercum: fuit hæc Divæ quasi Regia quando
 Sichemio cœpit promere signa solo.
 Omen adimpletur, quo *Custos Montium* in Alma
 Romulidum nuper Sede locandus erat.
 Summus ALEXANDER CHISIO de sanguine, Montem
 Contegit hunc Parmâ stemmatis Ipse sui.
 Haud mage conspicuo, aut fido Custode teneri
 Palladium poterat Belgica Terra tuum.

CLAUDIUS ATGRETTI, *Canonicus Nivellensis.*
 Ill. mo D. Internuncio à Secretis.

GVI-

GVILIELMVS
DE
BLITTERSWYCK

Libellorum Domus Regiæ Magister,
Magnique Concilii Senator

FRANCISCO
VANDEN VENNE

Ecclesiæ Metrop. Mechl. Præposito

S. P. D.

ADM. REVERENDE, PRÆSTANTISSIMEQUE DOMINE,
AMICE INTEGERRIME,

DEsiderium tuum mandati mihi loco esse cupio, cui ecce lubens pareo, & sic Inscriptiunculam illam meam, ut ut extempore fusam, adeoque rudem totam ac inconcinnam, in Symbolum quoque confero; cui tres alias, ex quorundam Amicorum voto, junxi: quibus à septennio jam exacto, in exaltatione tanti Pontificis nostri, ad Ruræ Ostium, ubi tum Senatorem agebam Regium, exultavi. His certè suppleri poterit, quod alteri deest, ad quam me animarant tot insignes Parnassi somniatores, qui pretiosum hunc Tapetem tam ingeniose

ingeniosè decantarunt; tum præsertim elegantissima illa Tua Oratio, quam ubi inter plura Auditorum, ab ore Tuo facundissimo pendentium millia, auribus meis, exceperam, continuò typis dignissimam judicavi: sed utinam prælum, quod verba exprimet, referre nobis queat, vultum illum tuum suavem nec minùs gravem, gestum affectibus tuis proprium, & accentum molliter acutum, quo tam belle in Monte Acuto perorasti! Non minorem profectò Præconem Maximi Pontificis summa poscebant merita ac virtutes; non minorem Oratorem Ipsa Dei Mater, quo solo Nomine cunctos ejus laudes compleo, ac sic finio.

Mechliniæ ipsâ Divi Tutelaris
mei luce. MD. DC. LXIII.

Sanctissi-

Sanctissimo Domino,
ALEXANDRO SEPTIMO

Pontifici Optimo Maximo,
 Christi in terris Vicario,
 Omnium Patri exoptatissimo,
 Virgini Matri devotissimo:
 Eam pridem in Belgio
 Visitanti in Monte Aspero,
 Montium in Insignibus gerulo,
 Adeoque ex antiquissimo
 Sancti Malachiae Vaticanio
 MONTIUM CUSTODI Auspicatissimo,
 Suffecto Columbæ ac Lilio,
 INNOCENTII DECIMI Symbolo;
 Ex ipso Septimontio,
 Monteque Exquilinio,
 Sanctæ MARIÆ MAIORIS Niveo,
 Sub Piscatoris Annulo,
 Pontificatûs anno Septimo,
 Insigni Brevi Apostolico:
 Congregationis Oratorii Præposito,
 Totique Presbyterorum Collegio,
 à Divo Philippo NERIO,
 Consito Nobili Surculo,
 Sub perpetuo, ne alienent, vinculo
 In depositum concredito,
 Aulæo Pretiosissimo,

I

Sex

Sex Montibus conspicuo,
 Et Sidere superimposito,
 Fùlgore prorsus splendido,
 In ipso medio circulo,
 Ex ramis Quercûs composito,
 Non uno certè mysterio,
 Dum singula considero:
 Suoq̄ue Internuncio
 Belgico - Burgundico,
 Sanctæ MARIÆ inclyto
 Montis Regalis titulo
 Abbati meritissimo:
 Pro zelo suo solito,
 Ac Pietatis studio,
 Et jussu Pontificio,
 Digno Tapetis Bajulo.

G. D. B.

TRES

TRES INSCRIPTIONES

*Quibus G. D. B. anno ∞. DC. LV. inter alia plura leti-
tiae publicae Schemata ac Parerga, adornavit Festi-
vitatem Ruremundensem, ob felicem prorsus ac toti
Orbi Christiano salutarem Magni ac Eminentissimi
Fabii Chisii ad summum Pontificatum assumptionem,
solemniter institutam* I.

ALEXANDRO SEPTIMO

PONTIFICI,

Vere Optimo,

Vere Maximo,

Vere Sanctissimo:

In quo

Virtus & Eruditio,

Dignitas ac humanitas,

Autoritas & modestia,

Gravitas ac suavitas,

Et grandia quæque

Summum obtinent.

Qui

Ab omni statu ac ambitu

Alienus,

Vel ipsâ humilitate suâ

Ad eminentiam,

Et Supremum tandem honoris apicem

Exaltatus est:

Qui

Vti nunc mundum lætitiâ,

Ita & Pace mox beabit.

I 2

ALEX-

II.
ALEXANDRO SEPTIMO

Summo in Terris
CHRISTI VICARIO.

Qui

Talis est vitâ,
Moribus ac Doctrinâ,
Vt suspiciendus cunctis,
Nulli sit reprehensibilis;
Vti amatus bonis,
Ita formidatus malis,
Et ipsis
Quod mirum,
Heterodoxis venerabilis;
Qui unus,
Inter tot præclaros
Ecclesiæ Antistites,
A non uno quondam
Designatus Pontifice,
Qui Pacis,
Christianos inter Principes
Conciliandæ
Proxeneta fieret:
Ejusdem,
Tot suspiriis ac votis,
A Cœlo flagitatæ,
Nunc Autor futurus.

ALEX.

III.

ALEXANDRO SEPTIMO

Magnis orto, ad majora nato,
Rebus maximis admoto :

In Patria,

Alma, inquam, Senensi
Academia ,

Summo omnium applausu,
Philosophiæ,

Legum, Canonumque,

Nec non

Sacræ Theologiæ,

Doctorali Laureâ

Insignito:

Romæ

Vtriusque Signaturæ:

Pontificiæ

Referendario :

Ferrariæ

Prolegato ,

Et Papalis Exercitus

Commissario :

Melitæ

Inquisitori Generali,

Ac Delegato Apostolico :

Neritonæ

Episcopo :

I 3

Coloniæ.

Coloniae
 Nuncio Ordinario:
 Monasterii
 Pacis Arbitro:
 Aquis grani,
 Et ubique
 Pauperum subsidio,
 Afflictorum solatio,
 Oppressorum praesidio,
 Religiosorum Patrocinio,
 Raro virtutum omnium exemplo:
 Hinc
 AB INNOCENTIO X,
 Ad Secreta Status
 Romam revocato,
 Dein Purpurâ decorato.
 Denique
 A Spiritu Sancto,
 In Supremum Sponsæ Suæ Custodem,
 Ac Patrem omnium Communem
 Cooptato:
 Adeoque
 Ad lætam filiis suis pacem,
 A viginti & amplius annis,
 Tristissimo, lævissimoque bello implicitis,
 Propediem donandam,
 Cœlitus destinato.

In

IN VATICINIVM
INSCRIPTIONIBUS

HISCE CONTENTUM

Phaleucium G.D.Burj.

BLITTERSWYCKIUS *haud Propheta vanus*
Scriptionibus his fuisse visus:
Pacem quam retulit brevi affuturam,
Acceptam tulimus. Sed hanc quod ipsam
Quaedam nescio quæ levis procella
Turbare incipiat; vovere rursus
Hanc quid ni liceat? reducet illam
Nova Inscriptio Muneris recentis,
Collis nempe quod Asperi MARIAM
Paci non feret Asperam Patronam.

SAN-

I.
SANTISSIMO PATRI ALEXANDRO

2.
ALEXANDRO SEPTIMO CHISO

SEPTIMA APRILIS, M. DC. LXIII.

Primo Pontificatûs SEPTENNIO

Feliciter completo:

Altero feliciûs incœpto,

Tertio prope ANNOS PETRI

Felicissimè extendendo;

Camœnam hanc SEPTENARIAM

Cum his quæ pro OCTAVA inscribuntur:

Ex voto Conferentium,

Humillimè offert

FRANCISCUS VANDEN VENNE

Præpositus, Canonicus

ET OFFICIALIS


ECCLESIAE METROPOLITANÆ Mechliniensis.


A P P R O B A T I O.


*V*aria hæc Poesis non minus suaviter resonat, quàm Oratio Panegyrica in Montibus saltat: & utraq; gratâ suâ harmoniâ pietatem & cultum Smi. P. nostri Alexandri Papæ Septimi erga Desiparam Virginem mentibus legentium dulciter instillat. Datum Mechlinæ 18 Aprilis 1663.

Laurentius Neesen Canonicus Theologus Ecclesiæ
Metrop. Mechliniensis & librorum Censor.











Th

5796